


Hunc Librum habeo
mihi donatum â R: Pa-
tre Placido cum Licentia
~~cum licentia~~ Superioris
mei ac Magistri Novi-
tiorum R: P: Gregorij
Anno 1775. in Monte Pacis.

Frater Thaddæus E. C. M. C.

Pene male ordinanis

1 Qui ab Epō excommunicato hæretico
Vel ordinat suspendit
2 Qui p simoniam
3 Qui Irregulatus excommunicatus
4 Q in aliena Diœcesi gravis a Proprio
5 Per saltum
6 Furtive
7 Sine dimissorijs
8 Ab Epō q renunciavit
9 Ante ætatem legitimam
10 Extra tempora sine Dispens.
11 Eod die duos Sacros
12 Q durante matrimonio etiam rato
nec admittit
13 Qui in Sacris matrimonium contrahit
degradat
14 Novitius vel Nullit. Profess. ad [illegible]
15 Qui sine titulo
16 q sine Dimissorijs a [illegible] [illegible]
17 Rebus in apostasia

EXAMEN ORDINANDORUM QUADRIPARTITUM,

Pro Prima Tonſura, & Minoribus Ordinibus, Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu,

SIVE

INSTITUTIONES PRACTICÆ,

AD HOS NON MODO ORDINES ritè exercendos, ſed RESOLUTIONES etiam, ad animarum Curatores ſcientiâ praxique miniſterio ſuo multùm neceſſariâ inſtruendos utiliſſimæ;

Ex probatiſſimis tum antiquis, tum recentioribus Auctoribus collectæ.

PER

R. P. LADISLAUM SENNYEI,

Soc. JESU, SS. Theologiæ Doctorem.

COLONIÆ AGRIPPINÆ;

Sumptibus JOANNIS SCHLEBUSCH, propè aream Sum̃i templi, vulg. am Hoff/ 1718.

Cum Privil. Sac. Cæſ. Majeſt. ſpeciali.

Illustrissimo & Reverendissimo Domino

D. JOANNI HENRICO d'ANETHAN,

EPISCOPO HIERAPOLITANO, Suffraganeo Coloniensi, Sereniss. & Reverendiss. Principis ac Domini, D. JOSEPHI CLEMENTIS, Archiepiscopi, ac Principis Electoris Coloniensis, Utriusque Bavariæ Ducis, Consiliario Intimo, Vicario Generali, eidemque Suæ Serenitati per Sanctissimum D. N. INNOCENT. XI. Pontificem Maximum, Deputato in Spiritualibus Coadministratori, consilii Ecclesiastici Præsidi, Metropolitanæ Electoralis, & Illustris D. Gereonis Ecclesiarum Coloniæ Canonico Capitulari, & respectivè Scholastico, Toparchæ in Densborg, Dhom. &c.

EXAMEN hoc ORDINANDORUM vix à me typis Agrippinensibus editum

vel ſpontè, ſed demiſsè tamen, imò jure Te fautorem, Te Patronum, *Præſul Illuſtriſsime*, exambit, quem Eccleſia Hildeſienſis, Archiepiſcopatus Trevirenſis & Colonienſis utrobique in Pontificalibus Suffraganeum, & in Spiritualibus Vicarium Generalē, & nunc recens Sereniſſimi Principis Electoris *Joſephi Clementis* à Sanctiſſimo D. N. *Innocentio XI.* deputatum in Spiritualibus Coadminiſtratorem ſuſpicimus ac veneramur. Nec mirum, quia *Labia tua Divinam* ſemper *cuſtodierunt*

ſcien-

ſcientiam, Et *Ex ore tuo, verè angelo Domini exercituum,* (a) *legem & vitam omnibus* meritò Sacerdotibus imitandam dum requiſierunt, conſequi potuerunt. Pythagoricum, ait Doctor Eccleſiæ Ambroſius, mandatum in aliquorum ſcriptis prædicari invenimus, quo ille diſcipulos ſuos communem atque uſitatam populo prohibuerit ingredi viam; (b) ſed hoc unde aſſumpſerit, haud eſt incognitum; legerat præceptum Moyſi, ut montem cum Sacerdotibus

(a) *Malach. 2. 7.* (b) *Lib. 1. Ep. 6. ad Iren.*

ascēderet; populus autem seorsum staret. Separavit igitur sacerdotes à populo, & postea ipsum Moysen introire intra nubem præcepit. Nihil minùs Illustrissime Præsul fecisti, qui Sacerdotes à Te ordinandos in excelsioris vitę montem tecum semper assumpsisti, ac tuo docuisti exemplo, ut nihil plebejum, nihil populare, nihil commune cum usu & moribus inconditæ multitudinis; sed sobriam à turbis gravitatem, sanctámque vitam sectarentur; ut accedant ad altaris tribunal ut Chri-

ſtus, aſſiſtant ut Angeli, miniſtrent ut Sancti, populorum offerant Sacrificia ut Pontifices, interpellent pro pace ut Mediatores, pro ſe autem orent ut homines; (c) hæc, inquam, verbo & exemplo tuo ſacris initiandos Ordinibus docuiſti, & doces; & vel ideo eos balſamo bonæ famæ, oleóque claritatis, & conſcientiæ nitore, ac pinguedine Spiritûs inungis, *ut Christi bonus odor ſint* ubique; de quo non incongruè David: (d) *Sicut unguen-*

(c) *Laur. Juſtin. ſerm. de Corp. Chriſti.*
(d) *Pſ. 17. v. 2.*

tum in capite, Christo, *quod descendit in barbam, barbam Aaron*, Te: *quod descendit* per sacram Ordinationem *in oram vestimenti* Sacerdotum. Nihil igitur dubito, quin tot à Te ordinati Sacerdotes non in Divino solùm incruentóque Deihominis, sed suffragabili etiam labiorum suorum sacrificio, ceu vituli libamine dextram fortitudinis & constantiæ armum, pectorisq́; seu spiritûs pinguedinē ab omni inordinata passione alienā, lege veteri solis Pontificibus debita Tibi reservârint, atque

à divino Numine impetrârint, quâ imperterritâ & Anethanis propemodum hæreditariâ fortitudine & constantiâ Dei & Ecclesiæ honorem, patriæ & Archiepiscopatûs Coloniensis salutem, & Imperii Romani conservationē quæris, defendis, ac propugnas. *Dominus tecum, virorum fortissime, confortare, & esto robustus; sic enim faciet Dominus cunctis*, (e)(ut modò vidēmus) qui se & sua non quæ Dei sunt, quærūt: *Fortitudo illorum & potentia ut favilla stupæ, & opus illorum*

(e) Judic. 5.

quasi scintilla; (f) *& accendetur utrumque simul, & non erit, qui extinguat; Iustus autem quasi Leo confidens absq; terrore erit*, ait Sapiens; (g) *Anethanus* enim *Leo* vera genuináque virtute fortis, nec temerè audet, nec inconsultè timet. Proinde *Præsul Illustrißime*, Ambrosii secutus videris consiliū, qui ait: (h) *Nec Regis aut Principis est libertatem dicendi negare, nec Sacerdotis quod sentiat, non dicere & agere.* Quia igitur hisce temporum perturbationibus, & fatalibus Germaniæ bustis

(f) *Iosua 10. 25.* câ
(g) *Proverb. 27.* (h) *August. Epist. ad Hieron.*

eâ tuâ invictâ leoninâque constantiâ *& docuisti multos, & manus lassas roborâsti, & vacillantes sermones tui confirmaverunt, & genua trementia confortâsti.* (i) Ecce innocentissimus ille simul & vigilantissimus Ecclesiæ noẽ *Innocentius XI.* qui Ecclesiam, Orbémque recens Christianum, præsentissimô Turcarum liberavit periculô, tuâ motus constanti fortitudine, tuæ virtutis doctrinæque famâ provocatus, Apostolicum Te Archidiœcesis Coloniensis in spiritualibus Co-

(i) *Job.* 4.

administratorem, dicam & conservatorem, deputavit, ut prægrandia Serenissimi Electoris Principis *Josephi Clementis* curarũ onera consiliô & industriâ, pietate & justitiâ succolles, sustineas, allevies, patriámque Coloniensem nostram inauditâ Gallorum immanitate expilatam, cineribúsque sepultam erigas, pristinæque gloriæ restituas. *Confortare* igitur, Præsul constantissime, *& non dissolvantur manus tuæ; erit enim aliquando merces operi tuo magna nimis.* (k) Ad

(k) 2 *Paral.* 15. 7.

quod haud parum conducit ſancta & pia Ordinandorũ inſtitutio, qui inſtar *Hur* & *Aaron* precibus, ſacrificiisque ſuis *manus* operum & conſiliorum tuorũ *ſuſtentabunt* , *ut nunquam manus tuæ laſſentur uſque ad occaſum Solis* (l) vitæ Tuæ. Suſcipe igitur hoc ORDINANDORUM EAMEN & INSTITUTIONEM , & quâ favore, quâ auctoritate , quâ etiam Imperio refove , defende , ac promove , ut DEO immortali honori, Nomini, Tuisque Virtutibus laudi, mihi verò cedat emolumento. Ita optat & precatur

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ

Dignitatis Veſtræ

Servus

Joannes Schlebuſch.

(l) *Exod.* 17. 12.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

DUm in Universitate Græcensi, ipso anno jubilæo ejusdem fundatæ Cancellarii munere fungerer, simulque in Reverendissimo Consistorio Episcopali ad Ordinandorum Examen quarto jam anno adhiberer, sæpiùs ab Ordinandis consultus, quosnam Authores legendos suaderem, quorum doctrinâ ad debitè subeundum hoc Examen juvari possent, nec ad manus essent libelli iis typis aliquando vulgati, & hoc præcisè fine conscripti, animum adjeci, ad quæstiones, numero, quàm hactenùs à nonnullis evulgatæ sunt, majore, in dicto Examine proponi solitas, ex probatissimis Authoribus conscribendas, ut privatos quospiam, qui avidiores forent doctrinæ ad dictos Ordines aut necessariæ, aut admodum utilis, comparandæ, non solùm consiliô, sed & auxiliô sublevarem.

Has proinde, quas hoc Opusculo exhibeo pro materiarum diversitate, di-

diversis ex Authoribus, videlicet: Tiberio, Marchantio, Tamburino, Gobat, Bailio, Barbosa, Quarti, Gavanto, Pasqualigo, Christiano, Theologisque Scholasticis non levi labore collegi.

Admonitum verò te volui, Amice Lector, ne existimes, me quæstionum hîc propositarum Resolutiones haberi velle omnes pro certis & indisputabilibus; Cùm enim Rerum Conditor *tradiderit mundum disputationi hominum*, diversos his à natura ipsa sensus inditos esse, satis experimur, ut, quam veritatem tuetur unus, impugnet alter; & vicissim, quam propugnat iste, alter inficietur. Quæ causa erat, ut complura responsa notanter signarem, alia probabilia esse, alia probabiliora, alia ad unius, alia alterius Doctoris mentem. Fide autem jubere non vereor, neminem Examinandorum (etsi ad quæsita has solummodo resolutiones reddiderit) ab Ordine, ad quem aspirat, rejiciendum tanquam non satis literatum, aut instructum, maximè si penetret

etiam

etiam ratiunculas, quas plurimis responsis eo fine adjeci, ut ea non tantùm veluti lectiones memoriæ mandatæ recitarentur, sed ut doctrinaliter possiderentur.

Inserui præterea non paucas quæstiunculas ex Theologia Scholastica, non quòd Theologica doctrina singulis Ordinandis necessaria esset, sed tum ut profectus eorum, qui Theologiæ Scholasticæ operam navant, aliqua etiam in Consistorio Episcopali capi posset experientia, idque ad ipsorummet imprimis (si benè substiterint) commendationem, & non leve commodum, veluti quorum, tanquam favore speciali dignorum, futuris temporibus in Beneficiorum distributione major erit ratio habenda, tum quia in his Septentrionalibus Regionibus ob mixturam variis hæresibus infectorum cum Catholicis major aliqua eruditio in iis vel maximè, qui sacris Ordinibus initiari postulant, necessaria est, ut dum occasio tulerit, sublimiori doctrina in-

ſtructi *inimicis Crucis Christi* fidenter pectus opponere audeant, valeantque. Sed & iis, qui nondum è Philoſophicis diſciplinis emerſerunt, perquàm utile erit, ſacratiorem doctrinam extremis quaſi labris delibare, id, quod facilè ex Opuſculo hoc aſſequentur, in quo ſublimior etiam doctrina non Scholaſtica methodo, ſed plana, claraque latinitate, ad cujuſque captum eſt propoſita, eorúmque ſolummodo mentio facta, quæ ad Doctrinam Fidei morúmque magis elucidandam conducentia videbantur, ſubtilitatibus aliis, maximè quæ in ſuppoſitionibus impoſſibilibus fundantur, fervori Scholaſticarum Exercitationum relictis.

Hoc igitur Opuſculum, Amice Lector, qui ad ſtatum Eccleſiaſticum Deo ad oſtium pulſante aſpiras, amicum tibi reddito, & ſi ejus familiaritate in aliquo te adjutum deprehenderis, Deum lauda, & pro me precare.

INDEX

INDEX TITULORUM Examinis Quadripartiti Ordinandorum.

PARTIS PRIMÆ,

Examen pro prima Tonſura, & Minoribus Ordinibus,

CAPUT I.

CAPUT II.

Cle-

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

Ostia-

PARTIS SECUNDÆ,
Examen pro majoribus Ordinibus, & Subdiaconatu.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.


PARTIS QUARTÆ,
Examen pro Presbyteratu,
CAPUT I.

CAPUT II.

CA-

CAPUT III.

PRI-



PRIVILEGIUM CÆSAREUM,

Et


Facultas R. P. Provincialis.

EGo infraſcriptus Soc. JESU per Provinciam Rheni Inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi à Patre Noſtro P. Thyrſo Gonzalez, Præpoſito Generali ad id facta, JOANNI SCHLEBUSCH, Bibliopolæ Colonienſi, Facultatem concedo, recudendi Librum, à R. P. Ladislao Sennyei, ejuſdem Societatis Sacerdote, ac SS. Theologiæ Doctore conſcriptum, legitimè antehac cenſum, probatúmque, qui inſcribitur: *Examen Quadripartitum Ordinandorum pro prima Tonſura, & Minoribus Ordinibus, Subdiaconatu, Diaconatu & Presbyteratu*, eidémque Jus Privilegii Cæſarei eatenus indulgeo, ut ipsô invitô Librum hunc nemo deinceps recudere; nemo intra S. Romani Imperii fines & Hæreditarias S. Cæſareæ Majeſtatis Provincias importare, aut vænum exponere audeat. In cujus rei fidem has literas manu propriâ ſubſcriptas, ac Officii mei Sigillo munitas dedi Coloniæ 14. Septembris, Anno 1688.

(L.S.)

Fridericus Lamberti, m. p.

EXA-



EXAMEN ORDINANDORUM.

PARS PRIMA.

Pro Prima Tonſura, & Minoribus Ordinibus.

CAPUT I.

Ex Rudimentis Fidei.

QUid petitis? ℞. Examinari pro prima Tonſura, & Minoribus Ordinibus.

2. *Quid ſcire incumbit taliter initiari cupienti?* ℞. Ex Concil. Trid. Seſſ. 23. cap. 4. de Reform. *Primâ Tonſurâ non initientur, qui Fidei Rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant.* Et Cap. 11. *Nec Minoribus Ordinibus, qui Latinam linguam ſaltem non intelligant.*

3. *An non pro Minoribus Ordinibus requi-*

 ritur

ritur etiam notitia eorum, quæ ad hoc munus pertinent? ℞. Utique Domine, quia cùm iis initiati, ſuum quilibet munus exercere debeant, notitiam ejus habere debent.

4. *Potéſtne fœmina admitti ad primam Tonſuram, & minores Ordines?* ℞. Non poteſt, quia ſicut Ordines ipſi, ita & prima Tonſura, tanquam diſpoſitio ad Ordines, non pro fœminis, ſed pro maribus inſtituta ſunt.

5. *An ergo mas infidelis admitti poteſt?* ℞. Negativè; quia per baptiſmum non eſt aggregatus numero Chriſtianorum.

Chriſtianus quis?

6. *Eccur Baptiſmus prærequiritur?* ℞. Quia eſt tanquam janua ad reliqua Sacramenta.

7. *Cùm Baptiſmus dicatur eſſe janua ad reliqua Sacramenta, an ergo reliqua omnia Sacramenta invalidè ſuſcipientur ante illum?* ℞. Sacramenta omnia præter Euchariſtiam invalidè ſuſcipi ante Baptiſmum; Euchariſtiæ enim confectio, cùm à ſuſcipiente non dependeat, ea non invalidè, ſed ſolùm infructuosè, & quaſi materialiter ſumetur ſeu ſuſcipietur.

8. *Quid igitur eſt eſſe Chriſtianum?* ℞. Eſt per Sacramentum Baptiſmi, Unctionis, Chriſti participem, ejúſque membrum effici.

9. *Eſtne omnis Chriſtianus Catholicus?* ℞. Negativè.

10. *Quis ergo dicitur verè Catholicus?* ℞. Qui Baptiſmi Sacramento initiatus, in Eccleſia

clesia DEI veram Christi doctrinam profitetur.

11. *Haeretici súntne Christiani, & Catholici?* ℟. Sunt Christiani, si sunt legitimè baptizati. Non sunt Catholici, quia adhærent sectis & opinionibus ab Ecclesia Catholica seu universali alienis.

12. *Súntne saltem capaces primæ Tonsuræ & minorum Ordinum?* ℟. Eos validè quidem suscipere posse, sed non licitè.

13. *Quod est signum Christiani?* ℟. Est signum sanctæ Crucis.

14. *Quomodo hoc signum formatur?* ℟. Formatur, ducendo tres tantùm, vel omnes quinque digitos extensos manus dextræ, à fronte ad pectus, à pectore ad humerum sinistrum, & ab hoc ad dextrum, dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

15. *Formando sic Crucem, quando nominatur Pater, quando Filius, & quando Spiritus Sanctus?* ℟. Digitos applicando fronti, nominatur Pater, pectori Filius, utrique humero Spiritus Sanctus.

16. *Cur ad formandum signum Crucis manus dextra adhibetur?* ℟. Ex *Justino M. lib. 1. de Missa, c. 45.* quia est dignior. Congruum autem est, ut ad obsequium DEI digniora membra corporis nostri adhibeamus.

17. *Cur tres digiti ad formandum hoc signum adhibentur?* ℟. Ad indicandam confessionem Trinitatis personarum in unitate naturæ.

18. *Cur autem 5. digiti?* ℟. In memo-

tiam & venerationem quinque Vulnerum Christi.

19. *Cur nominatur Pater, quando tangitur frons?* ℞. Datur intelligi, quòd sicut ex capite in summo corporis nostri locato vita ad reliquum corpus derivatur; ita Patrem rerum omnium principium esse agnoscamus.

20. *Cur Filius nominatur, dum tangitur pectus?* ℞. Significatur Filium non solùm ab æterno à Patre procedere, sed etiam in tempore pro salute nostra in utero Virginis conceptum, & tandem in visceribus terræ sepultum esse.

21. *Cur nominatur Spiritus sanctus, dum uterque humerus tangitur?* ℞. Denotatur tanquam Amor Divinus, à Patre & Filio tanquam uno principio procedens, ejusdem cum utroque naturæ.

22. *An nescis aliam etiam rationem?* ℞. Scio, ad insinuandum videlicet, quòd Spiritus sanctus per incarnationem Filii, nos, qui à sinistris filii iræ eramus, per gratiæ infusionem ad dextram transferendo fecerit hæredes Regni DEI.

23. *Formatúrne signum Crucis alio etiam modo?* ℞. Formari pollice & indice manus dextræ conjunctis, signando se Crucis signô in fronte, ore, & pectore, seu corde, dicendo ad signum frontis: *In nomine Patris*, ad signum oris: *Et Filii*, ad signum pectoris seu cordis: *Et Spiritûs sancti.*

24. Cur

24. *Cur duo digiti conjuncti in hoc signo formando adhibentur?* ℟. Significari duas naturas, Divinam & Humanam in Christô, contra hæresim Monotelitarum, unam tantùm in Christo naturam agnoscentium, & ideo unicô tantùm digitô signô Crucis se signantium.

25. *Cur ad signum frontis* Pater, *ad signum oris* Filius, *ad signum pectoris* Spiritus Sanctus *nominantur?* ℟. Quia in fronte (ut suprà dictum est) *Patrem rerum omnium Principium*, in ore *Filium, Verbum ab ore Patris procedens*, in corde amoris sede *Spiritum Sanctum Amorem Divinum* confitemur.

26. *Cur signô hôc frontem, os, & pectus seu cor signamus?* ℟. Ex mente *S. Augustini in Psal. 30.* Frontem verecundiæ sedem signamus, ne nos pudeat ignominiæ Christi, os, & cor eodem veluti signaculo custoditum volumus, ne quidquam aut ex corde, aut ex ore contra DEUM vel proximum procedat.

27. *Dicite adhuc aliam rationem, si occurrat?* ℟. Significari etiam posse promptitudinem animi ad confitendum semper Crucis Mysterium; *Cogitatione*, quæ in fronte residet; *Verbo*, quod ab ore procedit, & *opere*, quod à cordis, seu amoris imperio gubernatur.

28. *Cur autem dicitur*: In nomine Pa-

tris, &c. *& non in nominibus?* ℟. Quia per *nomen* in singulari denotatur Patris, & Filii, & Spiritûs S. trium personarum divinarum una natura.

29. *Súntne ergo tres Personæ Divinæ æquales inter se?* ℟. Esse omninò æquales, ita, ut nec una perfectior sit alterâ, nec omnes tres perfectiores unâ, quia omnes & singulæ sunt unus DEUS.

30. *Dicite etiam, quæ mysteria contineantur in hoc signo Crucis?* ℟. Contineri summam Fidei Christianæ; quatenus per verba DEUM trinum & unum, per signum Crucis verò passionem & mortem Christi, & per eam redemptionem nostram profitemur.

Symbolum Apostolorum.

31. *Quot sunt Articuli credendi à Christiano?* ℟. Duodecim, in Symbolo Apostolorum contenti.

32. *Cur vocatur Symbolum Apostolorum?* ℟. Quia est compositum ab Apostolis.

33. *Cupio illud mihi recitari?* ℟. Credo in DEUM Patrem, &c.

34. *Quomodo credi potest Filius DEI, & Deus natus in tempore, passus, mortuus, & sepultus?* ℟. Secundùm Humanitatem.

35. *Ad quos inferos descendit?* ℟. Non ad locum damnatorum, sed ad Limbum, in quo animæ sanctæ Salvatorem suspirabant.

36. *Descenditne cum anima & corpore?* ℟. Cor-

Corpus reliquiſſe in ſepulchro, illúdque poſtea tertio die glorioſum reaſſumpſiſſe.

37. *Cur dicitur in plurali :* Deſcendit ad inferos? ℟. Quia etiam ad Purgatorium deſcendit, indéque multas animas liberavit.

38. *Cur dicitur Chriſtus in cælis ſedere?* ℟. Significatur quies poſt exantlatos labores, vel etiam poteſtas Judicis jam ei tributa.

39. *Cur dicitur ſedere ad dextram Patris?* ℟. Quia ſupremam in cælis gloriam conſecutus eſt.

40. *Quales vivos & mortuos judicaturus eſt?* ℟. Per vivos intelligi Electos, per mortuos verò reprobos.

41. *Cùm quilibet particulariter poſt mortem judicetur, cur inſtituetur judicium univerſale?* ℟. Tum, ut omnis homo judicetur non ſolùm in anima, ſed in corpore; tum ut Chriſtus, qui fuit reprobatus ab omnibus, tunc agnoſcatur coram cælo, mundo, & inferis.

42. *Quid eſt Eccleſia, in quam creditur?* ℟. Eſt congregatio omnium Fidelium ſub uno capite Chriſto, & ejus in terris Vicario.

43. *Eſtne Eccleſia una, & non plures?* ℟. Eſt una, unitate Fidei & Doctrinæ.

44. *Quare Eccleſia dicitur ſancta?* ℟. Quia non niſi ſancta docet, & in Fide, & in moribus. Item; quia in ea ſunt ſanctificationis media, utì Baptiſmus, & alia Sacramenta. Et quia extra eam non poteſt ſanctitas reperiri, nec ſalus; in ea autem multi Sancti ſunt.

45. *Cur dicitur Catholica?* ℟. Quia exten-

dit se ad omnes mundi partes, & ad omne tempus à temporibus Christi, proindéque est universalis.

46. *Cur autem vocatur Apostolica?* ℟. Quia ab Apostolis fundata & doctrinâ & sanguine.

47. *Cur denique Romana nuncupatur?* ℟. Quia Romana Mater est omnium Ecclesiarum, cui Christus primatum dedit.

48. *Quid est Communio Sanctorum?* ℟. Quòd Sancti & Justi inter se communicationem specialem habent, tanquam membra unius corporis. Item quòd sit in Ecclesia DEI communio rerum sanctarum.

49. *Quæ sunt res illæ sanctæ, in quibus communicamus?* ℟. Sanguis redemptionis, Sacramenta, dona gratiæ, Verbum DEI. Item opera bona; cùm enim simus membra ejusdem Corporis, dum quis orat, aut jejunat, non solùm sibi, sed omnibus orat, jejunat.

50. *Habéntne mali etiam fructum in hac communione Sanctorum?* ℟. Habent, tum quia boni suis precibus sæpè illis impetrant gratiam, tum quia propter societatem cum bonis sæpè evadunt afflictiones & vindictam DEI.

51. *An aliquem fructum etiam Animæ Purgatorii percipiant?* ℟. Omninò; quia cùm sint membra viva nobis conjuncta per eandem fidem, spem, charitatem, juvantur satisfactionibus nostris.

52. *Multa de credendis dicta sunt, & de ipsa Fide nihil; Quid ergo est fides?* ℟. Est prima virtus requisita in Christiano, donumque DEI, quo firmiter assentimur illis, quæ revelata sunt à DEO.

53. *Súntne ea solùm credenda, quæ in Scriptura continentur?* ℟. Etiam Traditiones Ecclesiæ credendas esse.

54. *Quid est spes?* ℟. Est prima post Fidem virtus in Christiano requisita, per quam certa cum fiducia, nostræ salutis, & æternæ vitæ bona expectantur.

55. *Quis est præcipuus actus spei?* ℟. Est oratio, seu mentis ad DEUM elevatio, quâ bona precamur, vel mala deprecamur, vel DEUM benedicimus.

Oratio Dominica.

56. *Quæ est excellentissima omnium oratio?* ℟. Oratio Dominica, sic dicta, quia eam Dominus noster JESUS Christus primùm Apostolos docuit.

57. *Quot ea petitiones continet?* ℟. Septem. In quibus tamen, quidquid à DEO petere possumus, comprehenditur.

58. *Estne etiam petitio:* Pater noster, qui es in cœlis? ℟. Non, sed præmittitur ad attentionem, & filialem fiduciam in nobis erga DEUM, tanquam Patrem optimum, excitandam.

59. *Quid est:* Sanctificetur Nomen tuum? ℟. Ut semper, ubique, in omnibus, ab omni-

bus, promoveatur cognitio, timor, amor, honor, & cultus Divinus.

60. *Quale* Regnum *petitur* advenire? ℟. Imprimis Regnum Gratiæ, quo DEUS in via regnat in nobis. Deinde Regnnm æternæ gloriæ, quod nobis servatur tanquam filiis.

61. *Cur petitur* voluntas DEI fieri sicut in cælo? ℟. Ut & nos, sicut Angeli, integrè, perfectè, & constanter adimpleamus eam.

62. *Qualis* panis *petitur*? ℟. Non solùm cibus, & alia corporalia, sed etiam panis spiritualis, uti sunt Verbum Dei, oratio, inspirationes, dona gratiæ, & principaliter panis Eucharisticus.

63. *Cur petitur* quotidianus? ℟. Quia & quotidie necessarius, & semper à solo DEO expectandus.

64. *An etiam panis Eucharisticus quotidianus*? ℟. Ita, tum quia quotidie illum sumebant fideles; tum quia quotidie decet, nos illum spiritualiter manducare.

65. *Cur petitur* hodie? ℟. Ne de crastino soliciti simus; & ut quotidie ad Deum confugiamus.

66. *Qualia* debita *petimus* dimitti? ℟. Peccata tam mortalia, quàm venialia.

67. *Cur vocantur* debita? ℟. Quia reos & debitores nos faciunt pœnæ æternæ, si mortalia sint; temporalis, si venialia.

68. *Quid est* non induci in tentationem? ℟.

℟. Non eſt non tentari ; quia tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & Chriſtus ipſe tentatus fuit, ſed eſt non ſuccumbere tentationi.

69. *Quid eſt* liberari ab omni malo? ℟. Imprimis à malo dæmone ; deinde à malis animæ, demùm à malis corporis.

Salutatio Angelica.

70. *Salutatio Angelica unde ſic dicta?* ℟. Non quòd ejus author ſit Angelus, ſed quòd primaria ejus pars Angeli ore primùm pronunciata fuit ; deinde uſitata ab Eccleſia, dictata verò Angelo à Spiritu ſancto, ſeu ſanctiſſima Trinitate.

71. *Quot partes habet Salutatio Angelica?* ℟. Tres. Prima : *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*, ab Angelo pronunciata. 2. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus Fructus ventris tui*, ab Eliſabeth Spiritu ſancto repleta dicta. 3. *Ora pro nobis, &c.* addita ab Eccleſia.

72. *Quæ eſt virtus maximè neceſſaria chriſtiano?* ℟. Charitas, per quam DEUS propter ſe diligitur, proximus autem propter DEUM.

73. *Quo indicio ſe prodit charitas erga DEUM?* Reſp. Obſervatione mandatorum ejus ; *Qui enim habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.*
Joann. 14.

Præcepta Decalogi.

74. *Quot sunt Præcepta Decalogi?* ℟. Decem à DEO nobis per Moysen data, omnibus observatu possibilia, & cum Divina gratia facilia.

75. *Quid præcipitur: Non habebis Deos alienos coram me?* ℟. DEUM adorare, & illi soli servire, cavere item infidelitatem, magias, divinationes, observationes superstitiosas, & quemcunque cultum impium.

76. *Licétne tamen Sanctos etiam colere & invocare?* ℟. Licet, sed inferiore cultûs gradu, quàm DEUM, videlicet tanquam DEI amicos, & nostros apud eum intercessores ac Patronos.

77. *Licétne venerari imagines Christi & Sanctorum?* ℟. Licet, non eas (sicut Ethnici faciunt) adorando, sed in iis Christum & Sanctos venerando.

78. *Qui peccant contra secundum præceptum?* ℟. Qui falsè, rem illicitam, aut sine necessitate jurant. Qui DEUM, vel Sanctos blasphemant. Qui per Caput, per mortem, per sanguinem Christi jurant, qui semper in ore DEUM, vel Diabolum habent, pestem, vel mortem. Qui vota sua non adimplent.

79. *Quid per Sabbathum, quod sanctificare jubemur, intelligitur?* ℟. Dies Dominica à temporibus Apostolorum; siquidem

S. Joannes dicit, ſe fuiſſe in ſpiritu in Dominica die.

80. *Cur Sabbathum mutatum eſt in Dominicam?* ℟. In memoriam Reſurrectionis Chriſti, quæ in Dominica facta eſt. Sed & alia myſteria hæc dies habet, quia fuit dies Creationis, Nativitatis Chriſti, Pentecoſtes.

81. *Cur dies Sabbathi eſt ſolennis beatæ Virgini?* ℟. Quia illo die manſit in illa lumen Fidei, aliis omnibus vacillantibus.

82. *Quomodo ſanctificanda dies Dominica?* ℟. Audiendo Miſſam & Verbum DEI, confitendo, communicando, orando, à ſervilibus laboribus abſtinendo.

83. *Per Patrem & Matrem, quos honorare jubemur, quid intelligitur?* ℟. Non ſolùm Parentes, ſed etiam Patres ſpirituales; uti ſunt Paſtores, Confeſſarii, Sacerdotes. Item Seniores, & Superiores tam ſpirituales, quàm temporales.

84. *Quid prohibetur per Non occides?* ℟. Non ſolùm Homicidium, & injuſta ſanguinis effuſio, ſed etiam rixæ & odia in proximum.

85. *Quid per Non mœchaberis?* ℟. Omne peccatum immunditiei, ut: Adulterium, Fornicatio, Inceſtus, ſtuprum, ſacrilegium, raptus, peccatum contra naturam.

86. *Quid per: Non furtum facies?* ℟. Furtum ſimplex, ſeu occulta acceptio, & de-

tentio rei alienæ. Rapina, seu violenta rei alienæ acceptio præsente Domino. Sacrilegium, seu acceptio rei sacræ, vel etiam rei non sacræ de loco sacro. Item omne injustum lucrum, & injusta negotiatio.

87. *Quid per Non falsum testimonium dices?* ℟. Præter testimonium falsum, etiam injusta Judicum sententia, Advocatorum, Procuratorum, Notariorum iniquitas. Item temerarium judicium, mendacium, susurratio, adulatio, detractio, quam aliqui ad furtum, quatenus est occulta famæ sublatio, & ad occisionem, quatenus fama vitæ comparatur, referunt.

88. *Quid per Non concupisces?* ℟. Omnes actus interni circa concupiscibilia liberi, & voluntarii. Unde cogitationes & delectationes non voluntariæ, peccaminosæ non sunt.

Præcepta Ecclesiæ.

89. *Súntne adhuc alia præcepta à Christianis observanda?* ℟. Sunt 5. præcepta Ecclesiæ: De diebus festivis celebrandis, de Missa reverenter audienda die festo, de observatione jejunii, & abstinentiæ, de confessione annua, de communione Paschali.

90. *Satisfacitne præcepto de Missa, qui toto tempore, vel majori parte Sacri garrit?* ℟. Non, quia non audit reverenter, & moraliter.

91. *Quid est jejunare?* ℟. Est abstinendo ab esu carnium, semel in die corpus cibo reficere.

92. Qui

92. *Qui obligantur per ſe hoc præcepto?* ℟. Qui vigeſimum primum ætatis annum compleverunt, & annum ſexageſimum ſupergreſſi non ſunt.

93. *An ſæpiùs in die bibendo violetur hoc præceptum?* ℟. Non, quia tantùm comeſtio prohibetur.

Sacramenta.

94. *Quid eſt Sacramentum?* ℟. Eſt inviſibilis gratiæ ſignum viſibile, ad noſtram ſanctificationem divinitùs inſtitutum.

95. *Conferúntne omnia Sacramenta gratiam?* ℟. Sacramenta novæ legis omnia conferunt, quia ſunt ſigna practica gratiæ.

96. *Quid autem eſt gratia?* ℟. Eſt vera interna animæ ſanctitas & amicitia cum Deo.

97. *Quot ſunt Sacramenta novæ Legis?* ℟. Sunt ſeptem, omnia à Chriſto Domino inſtituta: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

98. *Súntne omnia Sacramenta omnibus neceſſaria?* ℟. Negativè, ſed Baptiſmus omnibus ad ſalutem neceſſarius eſt, Pœnitentia relapſis in peccatum, Euchariſtia ex præcepto omnibus rationis uſum habentibus. Reliqua per ſe non ita neceſſaria ſunt ſingulis, quamvis Ordo & Matrimonium neceſſaria ſint toti Eccleſiæ.

99. *Súntne iterabilia omnia Sacramenta?*

℟.

℞. Baptismum, Confirmationem, & Ordinem non posse iterari.

100. *An ergo baptizatus, confirmatus, & ordinatus, si moriatur, & postea resurgat, neque tunc poterit iterum recipere eadem Sacramenta?* ℞. Nec debere, nec posse, quia manet in illis character priùs impressus, utpote indelebilis.

101. *Siquidem semel baptizatus nequit rebaptizari ob characterem acceptum, videtur, nec posse confirmari, nec ordinari, cùm & per hæc Sacramenta characterem accipere deberet?* ℞. Magnam esse diversitatem, quia per hæc duo Sacramenta accipit characteres diversæ rationis, & quidem cum charactere Baptismi ad invicem subordinatos, in iteratione autem Baptismi deberet repeti idem character, qui foret superfluus.

102. *Quid est Baptismus?* ℞. Est Sacramentum, quo spiritualiter renascimur, & peccatorum plenâ remissione perceptâ, in Filios DEI adoptamur.

103. *Quid est plena peccatorum remissio?* ℞. Et originalis, & actualium tam quoad culpam, quàm quoad totam pœnam deletio.

104. *Súntne omnes homines Baptismi capaces?* ℞. Omnes parvi & magni, Viri & Fœminæ; sicut enim salutis capaces sunt, ita medii ad salutem unicè necessarii capaces esse debent.

105. *Quid est Confirmatio?* Resp. Est

Bapti-

Baptizatis collatum ab Episcopo Sacramentum, quô in Spiritu roboramur ad credendum, & nomen Domini, ubi opus erit, confitendum.

106. *Qui sunt capaces hujus Sacramenti?* ℞. Omnes baptizati, & non alii, sive sint infantes, sive adulti de cognatione spirituali, quæ ex hoc Sacramento nascitur, par ferè est ratio ac in Baptismo, de quo agemus infrà proprio capite.

107. *Quid est Eucharistia?* ℞. Est Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri, verè, realiter & substantialiter ejus Corpus & Sanguinem continens.

108. *Manétne panis & vinum in hoc Sacramento?* ℞. Non, sed convertitur in Corpus & Sanguinem Christi, relictis solis speciebus panis & vini.

109. *Estne totus Christus sub speciebus panis?* ℞. Est totus secundùm Divinitatem & Humanitatem, secundùm Carnem & Sanguinem.

110. *Quomodo secundùm Sanguinem, cùm Sacerdos tantùm dicat: Hoc est Corpus meum?* ℞. Quia est Corpus vivum, quale habuit Christus, dum instituit hoc Sacramentum; Corpus autem vivum sine sanguine esse non potest.

111. *Qualis adoratio debetur huic Sacramento?* ℞. Eadem quæ Christo Domino, ac æterno DEO, quem illic præsentem agnoscimus.

112. *Quid requiritur, ut dignè sumatur hoc Sacramentum?* ℟. Status gratiæ; ac proinde conscius peccati mortalis debet præmittere Confessionem. *Qui enim manducat indignè, judicium sibi manducat.*

113. *Possúntne Laici sumere hoc Sacramentum sub utraque specie?* ℟. Non; Fides enim docet, sub qualibet totum Christum contineri; & Ecclesia ob justas causas prohibet sumi sub utraque specie.

114. *Estne Eucharistia etiam Sacrificium?* ℟. Est Sacrificium, quod nos Missam vocamus.

115. *Quid est pœnitentia?* ℟. Est Sacramentum, in quo lapsis post Baptismum à Sacerdote venia peccatorum confertur.

116. *Quot sunt partes pœnitentiæ, ex parte pœnitentis requisitæ?* ℟. Tres, Contritio, seu dolor de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero; confessio peccatorum commissorum; & satisfactio; quæ partes materiales vocantur.

117. *Dolor quando debet elici?* ℟. Saltem eliciatur ante absolutionem Sacerdotis.

118. *Dolor ex quo motivo debet elici?* ℟. Vel ex motivo Bonitatis Divinæ offensæ, & vocatur *contritio perfecta*; vel etiam ex metu gehennæ & pœnarum à DEO infligendarum, aut ex motivo turpitudinis peccati, & vocatur *contritio imperfecta*, seu *attritio.*

119. *Confessio quid est?* ℟. Est accusatio integra peccatorum facta Sacerdoti in ordine ad absolutionem, virtute clavium obtinendam.

120. *Quæ sunt conditiones Confessionis ritè faciendæ?* ℟. 1. Sit præmeditata, hoc est, præmissô diligenti examine. 2. Sit humilis, tanquam accusatio coram Sacerdote, non ut homine, sed ut Judice DEI locô constitutô. 3. Sit pura & sincera, propriorum scilicet peccatorum, non alienorum, rescissis superfluis, prout sunt in conscientia, sine excusationibus narratio. 4. Sit integra, quoad speciem & numerum peccatorum explicatio.

121. *Examen conscientiæ quomodo faciendum?* ℟. 1. Agendæ DEO gratiæ pro beneficiis acceptis. 2. Petendum lumen ad recognoscenda sua peccata. 3. Ipsa peccata inquirenda, quoad numerum, & speciem. 4. Dolor eliciendus de peccatis commissis. 5. Propositum faciendum non peccandi de cætero.

122. *Omittere voluntariè peccatum grave in confessione, éstne peccatum mortale?* ℟. Esse gravissimum sacrilegium, quia reddit Sacramentum invalidum.

123. *Quando est obligatio confitendi?* ℟. 1. In probabili periculo mortis. 2. Quando suscipiendum est Sacramentum Eucharistiæ, aut aliud Sacramentum; vel ministranda Sacramenta, si sit conscientia peccati mortalis.

3. Ad-

3. Adulti saltem semel in anno ex præcepto Ecclesiæ confiteri debent.

124. *Suntne etiam venialia peccata necessariò confitenda?* ℟. Non quidem necessariò, sunt tamen materia sufficiens, & propter ingentes utilitates spirituales, usurpanda eorum confessio, maximè etiam, ut saltem indirectè absolvamur à mortalibus, si quorum obliti essemus.

125. *Quid est satisfactio?* ℟. Est pœnitentia, quam imponit Confessarius potestate clavium.

126. *Estne obligatio eam implendi?* Resp. Est.

127. *Ad quid illa imponitur?* ℟. Ad deletionem pœnæ temporalis remanentis post remissionem culpæ, & pœnæ æternæ.

Indulgentiæ.

128. *An non etiam per indulgentias deleri potest pœna temporalis?* Resp. Affirmativè.

129. *Quid est Indulgentia?* ℟. Est relaxatio pœnæ peccatis debitæ ex thesauro Ecclesiæ; Siquidem in Sacramento Pœnitentiæ non semper remittitur tota pœna peccatis debita, sed aliquid manet vel hîc, vel in Purgatorio solvendum.

130. *Quis iste thesaurus Ecclesiæ?* Resp. Est thesaurus satisfactionum Christi, & Sanctorum: cujus thesauri clavem habet sum-

summus Pontifex à Christo sibi per Petrum datam.

131. *Quomodo hæc potestas est clavis regni cælorum?* ℞. Quia removet pœnæ obligationem, quæ erat impedimentum ingrediendi regnum cælorum.

132. *Potéstne Pontifex pro libitu dare Indulgentias?* ℞. Non, sed debet habere causam legitimam.

133. *Cur ita?* ℞. Quia est solùm dispensator, & ideo debet dispensare juxta voluntatem Domini, quæ est, ut relaxatio pœnarum ex justa causa detur, ne sit potiùs dissipatio, quàm dispensatio.

134. *An non ergo omnes Indulgentiæ sunt certæ?* ℞. Nos debemus judicare illas certas esse; quia debemus judicare, Pontificem non dare sine justa causa, nec in illis errare.

135. *Quid requiritur ex parte nostra ad lucrandas indulgentias?* ℞. Ut adimpleantur opera injuncta, quæ plerumque solent esse Oratio, Jejunium, Eleëmosyna, & similia.

136. *An ergo etiam puer jejunare debebit?* ℞. Quòd sic, si vult lucrari Indulgentias, sicut & Eleëmosynam dare debet, si illa injungatur, quia sunt conditiones, *sine quibus non*, nisi ob causas justas dispenset Confessarius.

137. *Debéntne opera injuncta fieri in statu gratiæ?* ℞. Non esse necessarium, esse tamen

consultiùs. Sufficit autem ultimum opus fieri in statu gratiæ.

138. *Juvántne indulgentiæ animas defunctorum?* ℞. Quòd sic, per modum suffragii, quatenus nos offerimus DEO de thesauro Ecclesiæ satisfactionem, ut is eis suffragetur.

139. *Prosúntne autem infallibiliter?* ℞. Omninò: quia promisit Christus acceptationem hujus satisfactionis.

140. *Quid si anima, pro qua oramus, non sit in purgatorio?* ℞. Nec tunc fraudari nos merito, & applicationem fieri magis indigenti animæ.

141. *Quid est extrema Unctio?* ℞. Est Sacramentum per Unctionem olei ab Episcopo benedicti, & orationem Sacerdotis ægris applicandum ad salutem animæ, vel etiam corporis, à Christo institutum.

142. *Cur dicitur Extrema Unctio?* ℞. Quia Christianus in tribus Sacramentis ungitur; in Baptismo per Chrisma in vertice, & per oleum sacrum in scapulis & pectore; In Confirmatione in fronte; in hoc Sacramento in 5. sensuum organis; deinde quia extremò locò post omnia Sacramenta datur.

143. *Quis est capax hujus Sacramenti?* ℞. Omnis fidelis infirmus gravi infirmitate & periculosâ.

144. *Qui sunt effectus hujus Sacramenti?* ℞. Est primò auxilium & robur animi ægroti contra mortis difficultates, Secundò, remis-

ſio peccatorum venialium. Tertiò, ſanitas corporis, ſi animæ expediat.

145. *Quid eſt Ordo?* ℞. Eſt Sacramentum, quo ſpiritualis poteſtas & officium confertur.

146. *Quid eſt Matrimonium?* ℞. Eſt Sacramentum, quô vir & mulier legitimè contrahentes, individuam vitæ ſocietatem ineunt, gratiámque recipiunt, tum ad ſobolem honeſtè & Chriſtianè ſuſcipiendam, ac educandam; tum ut fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum evitetur; tum ut onera Matrimonii debitè ſuſtineantur.

147. *Quot ſunt officia Juſtitiæ Chriſtianæ?* ℞. Duo: *Declina à malo, & fac bonum.*

Peccatum.

148. *Quotuplex eſt peccatum in genere?* ℞. Duplex: *Originale*, quod à primo parente commiſſum, per generationis viam tranſiit ad poſteros; & *Perſonale*, quod propriâ cujuſque voluntate fit.

149. *Quotuplex eſt Perſonale?* ℞. Duplex, *Mortale*, ſic dictum, quòd mortem animæ præſentem adferat. Et *veniale*, quòd facilè venia ei tribuitur, ſine quo nec juſti quidem vivunt.

150. *Cur fugiendum peccatum?* ℞. Quia mortale Deum graviter offendit, æternam felicitatem eripit, & æternas pœnas affert

pec-

peccatori. Veniale Deum leviter offendit, minuit fervorem charitatis, impedit augmentum virtutum, & gratiarum divinarum.

151. *Quot sunt peccata capitalia?* ℟. Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

152. *Cur vocantur capitalia?* ℟. Quia ex illis veluti capitibus & fontibus reliqua proficiscuntur.

153. *Quid est Superbia, quæ ejus filiæ?* ℟. Est perversæ celsitudinis inordinatus appetitus. Filiæ ejus sunt: Vana gloria, jactantia, ambitio, hypocrisis, arrogantia, tumor, præsumptio, despectus aliorum, pertinacia, discordia, inobedientia, ingratitudo.

154. *Quid est Avaritia, quas habet filias?* ℟. Est inordinatus appetitus externorum bonorum. Filias habet: Immisericordiam erga inopes, inquietudinem, neglectum Divinorum, fiduciam in rebus temporalibus, usuram, fraudulentiam, mendacium, perjurium, fraudulentam decimationem, furtum, rapinam, sacrilegium, simoniam, oppresionem proximi.

155. *Quid est Luxuria, quæ ejus filiæ?* ℟. Est impuræ libidinis inordinatus appetitus. Præter species perfectas in Decalogo enumeratas, habet imperfectas sequentes: Aspectus impudicos, turpiloquia, cantus lubricos, oscula, contactus.

156. *Quid est Invidia, quæ ejus filiæ?*

℟.

℞. Est tristitia de bono alieno, tanquam diminutivo gloriæ propriæ. Filiæ ejus sunt: Odium, susurratio, detractio, judicium temerarium, prava interpretatio, contentio, contemptus, conspiratio, calumnia, convitium, improperium, exultatio in adversis proximi, tristitia in ejus prosperis.

157. *Quid est gula, quæ ejus filiæ?* ℞. Est appetitus inordinatus cibi & potûs. Filiæ ejus sunt: Rixæ, perjuria, homicidia, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia, mentis hebetudo. Et quod potissimum, *quorum Deus venter est.*

158. *Quid est ira, quæ ejus filiæ?* ℞. Est immoderata cupiditas vindictæ vel punitionis. Filiæ ejus sunt: Odium, indignatio, tumor, discordia, furor, crudelitas, clamores, minæ, contumeliæ, calumniæ, maledictiones, voces blasphemæ.

159. *Quid est acedia, quæ ejus filiæ?* ℞. Est torpor mentis, bona inchoare, vel prosequi negligentis. Filiæ ejus sunt: Dilatio pœnitentiæ, odium DEI, desperatio, rerum spiritualium aversio, tepiditas, pusillanimitas, somnolentia, otiositas, indevotio, incuria, ignavia, tædium vitæ, diffidentia.

160. *Quæ virtutes his peccatis opponuntur?* ℞. Humilitas, liberalitas, castitas, benignitas, temperantia, patientia, devotio, seu sedula pietas.

161. *Quot sunt peccata in Spiritum Sanctum,*

quæ & irremiſſibilia vocantur? ℟. Sex: Præſumptio de miſericordia Dei, vel de impunitate peccati, deſperatio, agnitæ veritatis impugnatio, fraternæ charitatis invidentia, obſtinatio & impœnitentia. Sic dicta, quòd ſuâ malitiâ ſic divinam gratiam excludant, ut neque in hoc ſæculo, niſi ægrè admodum, neque in futuro remittantur.

162. *Quæ ſunt peccata in cœlum clamantia?* ℟. Hæc quatuor: Homicidium voluntarium, ſodomia, oppreſſio pauperum, viduarum, pupillorum, merces operariorum defraudata.

163. *Quot modis peccata aliena nobis imputantur?* ℟. Novem: Conſilio, juſſione, conſenſu, irritatione, laudatione, ſeu adulatione, reticentiâ culpæ alienæ, conniventiâ, vel indulgentiâ, rei alienæ participatione, & pravâ facti alieni defenſione.

Virtutes.

164. *Quot ſunt virtutes omnium præcipuæ?* ℟. Sunt tres Theologicæ: Fides, Spes, Charitas.

165. *Quot ſunt his proximæ?* ℟. Quatuor: Prudentia, Juſtitia, Temperantia, Fortitudo. Quæ Cardinales, ſeu quaſi fontes aliarum dicuntur, omnem honeſtæ vitæ rationem continentes.

166. *Quæ ſunt noviſſima hominis?* ℟. Mors, Judicium, Infernus, & gloria cœleſtis. De qui-

quibus Sapiens: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

CAPUT II.

De prima Tonsura.

I.

Essentialia.

QUid est prima Tonsura? ℟. Est deputatio ad canendum in choro, seu Ecclesia, & ad ejus obsequium.

2. *Cur prima Tonsura ita vocatur?* ℟. Quia est prima habilitatio ad deferendam Tonsuram clericalem, augendam postmodum cum proportione ad augmentum gradûs per reliquos Ordines.

3. *Estne prima Tonsura Ordo?* ℟. Negativè.

4. *Estne saltem Sacramentum?* ℟. Cùm sub Sacramento Ordinis non comprehendatur, nec sub ullo alio ex Sacramentis, non poterit esse Sacramentum.

5. *Quid ergo est?* ℟. Est dispositio ad Ordines.

6. *Et cur non est Ordo?* ℟. Quia per illam nec imprimitur character, nec ulla spiritualis potestas quidquam agendi circa Eucharistiam tribuitur, sed fit sola segregatio à statu sæculari, deputatióque ad statum cleri-

ricalem, ut eam suscipiens fiat capax Ordinum propriè dictorum, jurisdictionis Ecclesiasticæ, beneficiorum, & privilegiorum.

7. *Quomodo ergo judicas Tonsuratum se habere respectu ordinatorum?* Resp. Eô ferè modô, quô Novitius respectu Familiæ Religiosæ.

8. *An non saltem comprehendetur in Bullis & Conciliis sub nomine Ordinum?* ℞. Juxta communem comprehendi, exceptis fortè pœnalibus, tanquam odiosis. Unde quibus sine limitatione vetitum est conferre, vel recipere Ordines, hôc ipsô tonsura etiam vetita est.

9. *Habétne certam materiam & formam per quam confertur?* ℞. Cùm Ordo, & Sacramentum non sit, verâ materiâ & formâ non indiget, habet tamen quasi materiam & formam.

10. *Quam illam?* ℞. Loco materiæ habet abscissionem capillorum, loco formæ verba ab Episcopo & à tonsurando pronuncianda: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Unde Marchinus existimat, etiam his omissis, posse aliquem, quocunque alio modo, ab Episcopo deputari ad prædictum Ministerium Ecclesiæ.

11. *An qui in capite totaliter calvus est, possit suscipere primam tonsuram, cùm nequeat tonderi ab ordinante?* ℞. Posse; quia cùm prima Tonsura non habeat veram materiam

& formam, sufficiet eandem ceremoniam adhibere, quantum fieri potest, quæ adhibetur cum capillatis.

12. *A quo potest conferri prima Tonsura?* ℞. Ordinariè & per se à solo Episcopo; ab aliis solùm ex privilegio.

13. *An autem à quocunque Episcopo conferri possit?* ℞. Per se solùm à proprio, seu ab ordinario initiandi; est enim actus jurisdictionis, quam ordinariam non habet, nisi ordinarius.

Officium.

14. *Quod est officium Tonsurati?* ℞. Est canere in Ecclesia, ob quam causam Psalmista vocatur, & ei imponitur, ut semel recitet septem Psalmos pœnitentiales, cum Litaniis & precibus adjunctis. Item servire Ecclesiæ.

Effectus.

15. *Quis est effectus Tonsuræ?* ℞. Est Clericatus, qui complectitur dictam deputationem ad Ecclesiæ servitium, capacitatem beneficiorum, & Privilegiorum Ecclesiasticorum, & Ordinum suscipiendorum.

16. *Confertúrne etiam gratia sanctificans per primam Tonsuram?* ℞. Non; quia non est Sacramentum.

Prærequisita.

17. *Quæ prærequiruntur ex parte subjecti ad validè recipiendam primam Tonsuram?* ℟. Præter sexum masculinum, & Baptismum, (de quibus Cap. 1. num. 4, & 5. diximus) requiritur in habentibus usum rationis etiam, ut voluntariè, & non purè coactè initietur. *Ex Cap. I. dist. 74.*

18. *Quæ autem prærequiruntur ad licitam ejus susceptionem?* ℟. Confirmationis Sacramentum, legitima ætas, non esse irregularem, vel simili aliquo impedimento affectum, sufficiens litteratura, intentio serviendi Deo, ita, ut non suscipiatur tantùm ex causa fugiendi forum sæculare.

19. *An non prærequiritur etiam status gratiæ?* ℟. Non prærequiri saltem sub mortali; quia cùm tonsura non sit Sacramentum, non ponitur obex gratiæ per peccatum in ejus susceptione.

20. *An tonsurandus obligetur communicare eô die, quo initiatur?* ℟. Negativè, tum quia de nullo tali præcepto constat, tum quia si quæ rubrica est, erit tantùm consultiva; tum denique, quia tonsura etiam post prandium conferri potest.

21. *Qui Sacramentum Confirmationis negligit, an graviter peccet?* ℟. Aliquos id sentire; valde tamen probabile esse, quòd tantùm venialiter, quia *Trident. Sess. 23. Cap. 4. de*

Reformat. non videtur id graviter præcipere. Eſt autem congruum, ut is, qui proximè ad Ordines diſponitur, ſit priùs roboratus in fide per Confirmationem.

22. *Quæ ætas requiritur ad primam tonſuram?* ℞. Plerumque ſeprennium completum; quia Trident. requirit, ut initiandus ſciat rudimenta fidei, legere & ſcribere, quod ante uſum rationis, qui annô ætatis ſeptimô primùm adeſſe cenſetur, vix reperiri in puero poteſt.

23. *Quid ſi ergo aliquis puer ante ſeptennium ſciret rudimenta fidei, legere & ſcribere, poſſétne recipere primam Tonſuram?* Reſpondet *Quintanadvenas*, talem habentem uſum rationis meritò initiari poſſe.

24. *Cur ad primam Tonſuram requiritur immunem eſſe ab irregularitate, cùm irregularis ſolùm arceatur per ſacros Canones ab Ordinibus, inter quos Tonſura non numeratur?* ℞. Quia prima Tonſura eſt janua & diſpoſitio ad Ordines, per quam tonſuratus gaudet privilegiis Clericalibus, fitque idoneus ad Eccleſiæ Beneficia, & Juriſdictionem, ideo graviter peccat cum irregularitate eam ſuſcipiens, ſiquidem tentat fieri ad prædicta idoneus contra Eccleſiæ voluntatem.

Literatura.

25. *Quanta literatura requiritur pro prima*

ma Tonsura? ℟. *A Conc. Trid.* requiri *sess.* 23. *cap.* 4. ut sciat legere & scibere, & fidei rudimenta.

26. *Debétne scire latinè scribere & legere?* ℟. Sufficit, si sciat nativâ linguâ.

Finis.

27. *An peccet mortaliter, qui recipit tonsuram ex intentione tantùm fugiendi forum sæculare?* ℟. Talem per se loquendo, à Gobat etiam à veniali excusari; eò, quòd non videatur indecens, petere rem sacram ob privilegium illi annexum; aliud esset, si fugeret forum sæculare, ob crimen aliquod patratum; sic enim non parum incommodi adferre posset Ecclesiæ. Alii dicunt, simpliciter peccare saltem venialiter contra Tridentini supracit. præceptum.

28. *Cur ergo is, qui Religionem ingreditur animo non manendi, peccat mortaliter?* ℟. Quia talis decipit Religionem graviter, dum ejus expensis alitur contra Religionis voluntatem.

29. *An qui recipit Tonsuram ob solam spem Beneficium Ecclesiasticum acquirendi, peccet mortaliter?* Respondet *Tamburinus*, à veniali non excusari, quia est aliqua deordinatio spiritualibus uti, tanquam mediis ad temporalia.

30. *An Tonsuratus peccet mortaliter, si absque ulla speciali causa ducat uxorem?* Respondet

det *Tamburinus*, probabiliùs peccare solùm venialiter, non ratione inconstantiæ, sed quia recedit à statu, quem in ipsa receptione Tonsuræ videtur aliquo tandem modo implicitè Ecclesiæ promisisse. Cæterùm talis ipso jure perdit Beneficium, aut pensionem ecclesiasticam, si quam habuit.

Tempora.

31. *Súntne certa tempora statuta pro conferenda prima Tonsura?* Resp. Illam conferri posse quocunque die, sive festo, sive profesto.

32. *Potéstne simul conferri cum minoribus Ordinibus?* Resp. Posse, & plerumque ita fieri.

33. *Fitne irregularis, qui recipit Tonsuram aliquâ censurâ irretitus?* ℟. Tonsuratum, & minoribus initiatum, excipi ab hac irregularitate, etiam per eos Doctores, qui admittunt, incurri irregularitatem ab iis, quâ majores Ordines sic suscipiunt.

Clericus quid?

34. *Siquidem dixisti, per Tonsuram deputari aliquem ad statum Clericalem, explica mihi, unde dicantur Clerici?* ℟. Cum Isid. Clericus à Græco *Kleròs* dicitur, Cleros autem latinè idem est ac sors, vel hæreditas; propterea ergo dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini

sunt,

sunt, vel quia Domini partem habent; generaliter autem Clerici nuncupantur, quia in Ecclesia DEI deserviunt.

35. *An sit aliqua vestis specialis pro Clerico tonsurato Ecclesiæ inservienti?* ℟. Est superpelliceum, quo ab Episcopo, tonsuram conferente induitur, sic vocatum (teste Gavanto) quòd olím indui soleret super tunicas pelliceas de pellibus animalium factas.

36. *Cujus coloris est hæc vestis?* ℟. Est candidi, ad indicandam innocentiam supra peccatum Adæ, quem vestiverat DEUS tunica pellicea.

37. *Quid significat amplitudo superpellicei?* Resp. Significare amplitudinem charitatis.

Obligationes Tonsurati.

38. *Quas obligationes habent Clerici tonsurati?* ℟. Si per se est aliqua specialis, non est alia, quàm obligatio deferendi habitum & tonsuram.

39. *Habéntne obligationem servandi castitatem?* ℟. Non habent, nisi communem cum laicis in ordine ad ea, quæ præcepta sunt.

40. *Habéntne obligationem orandi Horas Canonicas?* Resp. Non, nisi habeant beneficium, vel sint Regulares choro addicti.

41. *Quid si habeant pensionem Ecclesiasti-*

cam

cam infra sexaginta aureos? Resp. Eo casu obligantur tantùm ad horas Beatæ Virginis recitandas.

42. *An & quanta est obligatio persolvendi preces, quas Episcopus solet injungere recens initiato?* R. Cum Gobat, esse potius congruitatem quandam, quàm veram & rigidam obligationem.

Habitus & Tonsura.

43. *Qualem tonsuram tenentur deferre Clerici?* Resp. Consuetudo obtinuit, ut in summo capite per modum coronæ tondeantur; olim tondebantur toto capite, relicto ex capillis circulo, sicut nunc tondentur Monachi.

44. *Quanta latitudinis debet esse corona Clericalis?* R. In Minoristis sufficit, si sit tanta, quanta est particula communicantibus distribui solita; in aliis major, cum proportione gradûs ecclesiastici.

45. *Quid significat hæc corona?* R. Coronam spineam Christi, vel Regnum, quod Clerici à DEO expectant.

46. *Cur sit rasio in summo capite?* R. Ut intelligant, amputandas sibi superfluas cogitationes, & temporales res contemnendas.

47. *Qualis debet esse habitus clericalis?* R. Juxta Ecclesiæ Decreta, talaris, saltem moraliter, ut sit decenter longa, distinctiva Clericorum à sæcularibus. Quoad colorem ser-

servanda est cujusque Provinciæ consuetudo: Idem est de materia.

48. *An etiam pallium debeat esse talare?* ℟. Sufficere, si toga sit, ea enim sola vestes laicales tegit, & sufficere videtur ad decentiam; Barbosa dicit, sufficere pallium longum.

49. *Quanta est obligatio deferendi Habitum & Tonsuram?* Resp. Tiberius habet, quod Clerici beneficio & pensione sexaginta aureorum carentes, si animum habeant deserendi statum, nec venialiter peccent, non deferendo Habitum & Tonsuram. Si autem velint perseverare, judicant aliqui, eos peccare venialiter, non deferendo; negant alii verius, quia non constat de præcepto; Canones enim intelligendi sunt de beneficiatis, aut in sacris constitutis.

50. *Ergo nunquam peccant mortaliter?* ℟. Tamburini doctrinam esse: Nullum Clericum per se peccare mortaliter, nisi qui aliunde obligatus est, si taliter non deferat, ut videatur non esse Clericus, ut si habitum Laicalem, & ensem sine tonsura deferret, vel si adsit temeritas, contumacia, contemptus.

51. *Quid igitur de Clericis beneficiatis, vel habentibus pensionem sexaginta aureorum?* ℟. Hos sub mortali obligari deferre habitum & tonsuram, quia id sub gravibus pœnis præcipitur in Canonibus, & quidem pro-

probabiliùs, quoad utramque simul.

52. *An tamen hi aliquando excusentur?* ℟. Excusari, si ob causam rationabilem habitum dimittunt, ut ad tuendam vitam, honorem, divitias, &c. Item, si quis ita pauper sit, ut careat decenti habitu. Ratione infirmitatis tonsuram relinquens, in itinere, in villa vestibus utens brevioribus, pariter excusantur, datur etiam parvitas materiæ.

Clericis prohibita.

53. *Quæ alia sunt specialiter prohibita Clericis?* ℟. Imprimis, ut mercaturam sordidam non exerceant, nec ulla officia sæcularia, nec conducant possessiones, nec sæcularibus procurationibus se immisceant. Non solùm non dictent, vel proferant sententiam sanguinis, sed neque ubi sanguinis vindicta exercetur, intersint.

54. *Quid aliud?* ℟. Ut privilegiis suis non renuncient, cùm nec possint, quare in manibus laici jurare non possunt, nec se subjicere Judici laico, nisi cùm privilegium fori amiserunt, vel ab Episcopo licentiam habent, quam tamen dare non potest in criminalibus.

55. *Quid adhuc?* ℟. Ne aleæ deserviant, nec ludant ad aleas, nec intersint, uti nec mimis, histrionibus, joculatoribus, tabernas evitent, nisi necessitatis causâ, vel in itinere, à choreis abstineant.

56. *Dic ampliùs ?* ℟. Ne arma ferant, nec annulum, nisi ratione dignitatis, nec comam laxent, nec barbam nutriant saltem in labio superiore, quoad mentum inferius est contraria consuetudo.

57. *Superéstne adhuc aliquid?* ℟. A clamosis venationibus abstineant, & aucupiis, non cohabitent cum mulieribus, exceptâ matre, amitâ, sorore, imò nec cum his, si sint suspectæ, & cum suspecta nec fabulari, nec aliquô modô versari debent.

58. *Num adhuc aliquid ?* Resp. Debent benedicere mensam in principio, & in fine gratias agere. Si sint Sacerdotes, dum communicant, etiam in ægritudine stolam circa collum habeant. Servent rubricas Missæ, & horarum Canonicarum, aliarúmque functionum.

59. *Quid demùm ?* Resp. Non alienent patrimonium, ad cujus titulum ordinantur, sine licentia Episcopi, non pugnent etiam in bello justo, non audiant leges, vel medicinam; non incumbant publicè studio Philosophiæ, aut Poësis ultra quinquennium, juxta Concilium Lateranense. Non sint fidejussores pro Laico. Sed in officiis Ecclesiasticis, & aliis bonis studiis diligenter se exerceant. Non incidant Beneficiati in Beneficiorum nundinationem, vel pluralitatem prohibitam, vel redditaum Ecclesiasticorum malam consumptionem,

nem, cupiditatémve, ſciántque non ſolùm prædicta, ſed etiam alia, quæ quiſque Beneficiatus ratione ſui beneficii ſcire debet.

Clericorum Privilegia.

60. *Qualia privilegia conferuntur per primam Tonſuram?* ℟. Privilegium fori, canonis, & à tributis.

61. *Quid eſt privilegium fori?* ℟. Eſt immunitas à juriſdictione & foro ſæculari.

62. *Gaudéntne Clerici ſimpliciter hôc Privilegiô?* Reſp. Non, niſi beneficium habeant, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferentes, ſuæ, vel alteri Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi ſerviant, vel in ſeminario Clericorum, vel in ſtudiis de licentia Epiſcopi verſentur.

63. *Quid ſi clerici ſint conjugati?* Reſp. Hi prædictô privilegiô non gaudent, niſi præter ſupradicta obſervent etiam Conſtitutionem Bonifacii VIII. ut non ſint Bigami, & tunc tantùm gaudent in criminalibus.

64. *Quid eſt privilegium Canonis?* ℟. Eſt, ut qui ſuadente diabolô eos percutiat, ſit excommunicatus.

65. *Potéſtne Clericum percutere parens, aut Præceptor ad correctionem?* ℟. Poteſt, quia non facit ſuadente diabolô.

66. *Qui fruuntur hôc privilegiô?* ℟. Etiam Cle-

Clerici conjugati, non Bigami, modò habitum & tonſuram deferant, licèt reliqua non obſervent. Quamvis autem Clerici in minoribus, habitum & tonſuram non deferentes, gaudeant hoc privilegiô, ante trinam monitionem ab Epiſcopo factam, in multis tamen caſibus illud amittunt, quos vide apud DD.

67. *Quid eſt immunitas à tributis?* ℟. Eſt exemptio à gabellis, exactionibus, &c. authoritate laicâ impoſitis, etiam quoad bona patrimonialia, niſi ſint res, quas negotiandi causâ deferunt, eæque non Eccleſiæ, aut non neceſſitate ad negotiandum adhibitæ.

68. *An clerici conjugati gaudeant hoc privilegio?* ℟. Non gaudent, licèt habitum deferant. Multi etiam hanc exemptionem negant Clericis, tonſurâ & ſolis minoribus initiatis, niſi habitum & tonſuram deferant, & reliqua *à Tridentino ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.* requiſita obſervent.

Pœnæ indebitæ collationis.

69. *Epiſcopus incurritne aliquam pœnam, indebitè conferens primam tonſuram?* Reſp. Fit ipsô jure ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, ſi invito conferat tonſuram. *Capitul. Epiſc. 1. diſt. 74.*

70. *Quando aliàs?* ℟. Suſpenditur etiam per annum à collatione Clericalis tonſuræ duntaxat, ſi illam infanti conferat. *Cap. ult.*

de

de Temp. Ord. in 6. Infantis autem nomine intelligitur, quicumque non pervenit ad annum ſeptimum ætatis; niſi fortè Religionem intraret, oblatus à parentibus, quòd olim fieri ſolebat.

71. *Quando adhuc?* ℟. Suſpenditur per annum à collatione tonſuræ, ſi illam illiterato conferat. *Eod. Capitul. ult.* Sed hanc ſuſpenſionem non eſſe in uſu, afferunt Sà & Bonacina *apud Barboſam de Officio Epiſcopi, pag. 3. alleg. 3.*

72. *Quo caſu ulteriùs?* ℟. Suſpenditur à collatione tonſuræ per annum, ſi eam conferat alicui alienæ Diœceſis ſine licentia ſui Superioris, juxta *dictum Capit. ult.* Vel ſi conferat conjugato, niſi is velit Religionem ingredi, aut ad ſacros Ordines promoveri. *Eod. Cap. ult.*

CAPUT III.

De Ordinibus in communi.

1.

CUm pag. 23. quæſt. 145. dictum ſit, quòd Ordo ſit Sacramentum, quo ſpiritualis poteſtas & officium confertur, dicito, qualis ſit hæc poteſtas? ℟. Eſt poteſtas, quæ tribuitur viro baptizato circa Euchariſtiam, quà conficiendam, quà miniſtrandam.

2. *Quan-*

2. *Quando est Sacramentum Ordinis à Christo institutum?* R. In ultima Cœna. *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Ex Trid. sess. 22. cap. 2. Quo tunc novi testamenti Sacerdotes instituebat.*

3. *Quot sunt Ordines?* R. Septem: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbiteratus. *Trid. sess. 23. cap. 2.*

4. *Episcopatus an non etiam Ordo est?* R. Non esse distinctum Ordinem, sed complementum majoris perfectionis sacerdotii; eô modô, quô in sacerdotio potestas absolvendi à peccatis, complet potestatem conficiendi Corpus Christi.

5. *Cur tanta Ordinum multitudo?* R. Id institutum esse propter dignitatem sacerdotii, & consecrationis Eucharistiæ, quæ cùm sit excellentissima actio in Ecclesia, requirebat plures Ministros, qui illi inservirent, nec decebat, ut homines è statu Laicorum statim ad Sacerdotii culmen ascenderent, sed potiùs congruum erat, ut primùm segregati à populo per tonsuram Clericalem, gradatim per minores ascenderent, sicque ex officio Sacerdoti inservirent.

6. *Si sunt Ordines 7. Quomodo est unum Sacramentum Ordinis?* Resp. Est unum unitate finis, vel respectûs ad Eucharistiam, & sacerdotium, uti & Episcopatus ad ordinandos Eucharistiæ & Sacramentorum ministros.

7. *An singuli Ordines sint Sacramenta?* ℟. Probabilius esse: quia Trid. postquam definivit Ordinem esse Sacramentum, septem enumeravit. *Sess. 23. cap. 2, & 3.* Et Episcopatum.

Materia & Forma.

8. *Quæ est materia & forma Ordinum in genere?* ℟. Cùm duplex sit materia, una proxima, altera remota. Materia remota est illud, per quod actus Ordinis designatur, & in cujus traditione Ordo confertur, *Concil. Florent. in instruct. Arm. §. sextum Sacramentum.* Proxima est illius traditio, quæ *Materia ex qua* vocatur. Forma autem sunt verba Episcopi, potestatem, quæ Ordinato confertur, significantia.

9. *A quo debet fieri traditio materiæ remotæ?* ℟. In majoribus Ordinibus ab Episcopo, idque ex communi sententia essentialiter. In minoribus, cùm de Acolyto constet, ei ab Archidiacono tradi posse Episcopi jussu, probabile est monitum Pontificalis non obstare, quò minùs & in reliquis fieri possit ab Archidiacono.

10. *An physicè tangi debeat materia ab ordinando?* ℟. Quamvis speculativè id non requiri probabilissimum sit, in praxi tamen necessarium esse physicè tangi, saltem ad evitandum periculum non recipiendi Ordinis.

11. *An, dum sunt plures materiæ remotæ, singulas tangere sit necessarium?* Resp. In praxi tutiùs esse singulas tangere; probabilissimum tamen est, sufficere, tangere alterutram, dum per modum unius porriguntur.

12. *An sit necessarius contactus immediatus?* R⁷. Certum esse, non requiri immediatum tactum omnium omninò materiarum necessariarum; siquidem vinum in calice existens pertinet ad materiam necessariam Presbyteratûs, & tamen nulli unquam incidit, debere tangi physicè immediatè ab ordinando.

13. *Quæ ratio hujus dari potest?* Resp. Quia juxta communem usum hominum, qui tangit continens, etiam contentum tangere censetur; ut patet in exemplo vini in calice.

14. *An ergo etiam sufficiet tangere materiam manu obvoluta strophiolo, superpelliceo, chirotheca?* R⁷. Id Bonacinæ videri ferè certum. Quia communissimè & rectissimè dicimur tangere hominem, & etiam palpare, si apprehendamus illum manu obvolutâ chirothecâ.

15. *Requiritúrne autem, ut materia utraque manu tangatur?* R⁷. Nequaquam, quia id nulla lex exigit; Sufficere igitur unicô etiam digitô tangere, quia hôc ipsô jam verificatur verus tactus.

16. *An*

16. *An ergo sufficiet etiam solô ungue tangere?* ℟. Ungues, sive sint animati, sive inanimati, ita sunt manuum & digitorum pars, ut quando manu vel digitis aliquid apprehendi debet, satis sit, si unguibus digitorum tangatur.

17. *An contactus debeat simul esse cum prolatione formæ?* ℟. Si sint simul etiam mathematicè, laudabiliùs est, sufficit tamen simultas moralis.

18. *An invocatio SS. Trinitatis sit de essentia formæ cujuslibet Sacramenti?* ℟. Negativè, quia id nec in Pontificali, nec alibi præscribitur, aut indicatur.

Effectus.

19. *Quot sunt effectus Ordinis?* ℟. Præcipuè sunt quatuor.

20. *Quinam sunt illi?* ℟. Primò spiritualis potestas, & jus faciendi aliquid circa Eucharistiam. Secundò, character, seu qualitas spiritualis indelebilis, impressa animæ. Tertiò, gratia sanctificans. Quartò, collatio in certo statu & gradu.

21. *Possúntne Ordines ritè suscepti iterari?* Resp. Negativè, quia imprimunt characterem, qualitatem indelebilem. *Ex Florent.*

22. *Confertúrne à singulis Sacramentis Ordinis novus character?* ℟. Affirmativè, imò ab habentibus duplicem partialem materiam & for-

formam, duplex etiam partialis character imprimitur.

23. *Cur conferunt singuli Ordines novum characterem?* R. Quia singuli sunt Sacramenta, & ab invicem diversa, diversæque potestatis collativa. Cùm ergo Sacramentum Ordinis characterem producat, & character sit signum, vel ipsorum Ordinum, vel potestatum, quæ per Ordines conferuntur, diversi Ordines diversos characteres producere debebunt.

24. *Quando confertur iste character?* R. Tunc, dum materia applicata est, & forma completè prolata, ita, ut verum sit dicere: Nunc perfecta & completa est formæ significatio.

25. *Sacramentum Ordinis potéstne conferre characterem, absque eo, quòd conferat gratiam sanctificantem?* R. Quòd possit; quia potest validè suscipi in statu peccati mortalis; hôc ipsô autem, quòd validè suscipiatur, necessariò causat characterem; gratiam verò sanctificantem ob peccatum causare nequit.

26. *Cur character potest stare cum peccato mortali, & gratia sanctificans non possit?* R. Quia gratia est formalis sanctitas animæ, & amicitia cum DEO; quæ proinde cum iniquitate & inimicitia DEI incompossibilis est; Character autem nihil horum habet.

27. *Cur Sacramentum Ordinis validè susceptum, causat characterem semper, non verò causat semper gratiam sanctificantem?* ℞. Quia ad infusionem gratiæ in homine peccatore requiritur sufficiens peccati retractatio, tanquam dispositio necessaria, quæ cùm possit abesse stante valore hujus Sacramenti, poterit eodem valore stante non conferri gratia.

Requisita ad valorem.

28. *Quid ergo requiritur ad valorem Sacramenti Ordinis ex parte ministri, ex ratione Sacramenti?* ℞. Ex Concil. Florent. requiri materiam, formam, & intentionem ministri, quà minister est, saltem faciendi quod facit Ecclesia. *Trid. Sess. 7. Can. 11.*

29. *Qualis intentio requiritur, & sufficit in ministro?* ℞. Actualis est optima; virtualis sufficit; habitualis minimè, quia non potest influere in actionem, quæ tamen deberet ab illa procedere.

30. *Quid ex parte suscipientis requiritur ad valorem Ordinis?* ℞. Idipsum, quod diximus requiri ad primam Tonsuram pag. 30. nu. 17. videlicet: Primò, Baptismus, tanquam janua ad reliqua Sacramenta. Secundò, sexus masculinus; quia turpe est, fœminam gradum inter Ecclesiæ ministros habere. Tertiò, intentio debita, id est, saltem habitualis in adulto.

31. *Quid*

31. *Quid sentis de Hermaphroditis?* ℟. In quo fœmineus sexus prævalet, est incapax; quia simpliciter pro fœmina habetur. Si virilis prævalet, est irregularis ratione indecentiæ.

32. *Quid ergo erant apud antiquos vocatæ Diaconissæ, Presbyterissæ, Episcopissæ?* Resp. Aliquæ fuerunt fœminæ, virgines, vel viduæ ad inserviendum aliis, & quibusdam Ministeriis deputatæ. Aliæ deputatæ fortè cum aliqua benedictione ad homilias in officio Monialium recitandas. Aliæ uxores virorum in Diaconos, Presbyteros, Episcopos ordinatorum, quæ ab illis divisæ cælibem vitam ducebant.

33. *An omnes mares sint omnium Ordinum & eodem modo capaces?* ℟. Negativè: Primò, Episcopatus soli Sacerdoti conferri potest, quia illius character supponit hujus characterem, & cum eo facit completum & perfectum Sacerdotium.

34. *Quæ est alia exceptio?* Resp. Secundò ex communiori sententia infantibus, & perpetuò amentibus, Episcopatus conferri non potest, quia in Episcopatu fit matrimonium spirituale cum Ecclesia, quod requirit proprium consensum. Verius tamen videtur contrarium, quia in Episcopatu imprimitur character: ideo licèt infans non maneat obligatus Ecclesiæ, quoad curam pastoralem, recipiet tamen verum Sacramentum.

35. *Superéstne adhuc aliqua exceptio?* ℟. Omninò; quamvis enim omnes Ordines validè conferantur infantibus, & perpetuò amentibus; quia cùm Ordinis materia non sint actus recipientium, eorum intentionem supplet Ecclesiæ intentio; in adultis tamen & amentibus, qui usum rationis aliquando habuerint, requiritur, ut etiam aliquando habuerint voluntatem suscipiendi Ordines; nec eam revocaverint, quia consensus necessarius est in adultis ad omnia Sacramenta recipienda.

Requisita ad debitè suscipiendos.

36. *Quid requiritur ex parte ordinandi ad debitè suscipiendos Ordines?* ℟. Imprimis requiri statum gratiæ, siquidem judicamus omnes Ordines esse Sacramenta vivorum, quæ in statu peccati mortalis suscipi non possunt à sciente, sine novo peccato.

37. *Quid aliud requiritur?* ℟. Primam Tonsuram prærequiri ad omnes Ordines, & inferiores Ordines prærequiri ad superiores, ita ut per saltum non accipiantur.

38. *Qui Ordines minores accepit sine prima Tonsura, tenetúrne postea eam suscipere?* ℟. Minimè, quia per primum minorem Ordinem eminenter accipit primam Tonsuram, & sufficienter disponitur ad reliquos Ordines suscipiendos; nec ullum incommodum inde timeri potest.

39. *Quid ultrà requiritur?* ℟. Requiri certam ætatem, quæ pro singulis determinabitur suis locis.

40. *Ætas pro Ordinibus requisita, an computetur à die Nativitatis, vel à die Conceptionis?* ℟. Patet ex communi usu, quòd à die Nativitatis, imò dies conceptionis rarò sciri potest.

41. *An sufficiat compleri ætatem requisitam unâ horâ ante ordinationem?* ℟. Me de hoc non dubitare, siquidem jam verè physicè completus annus dicitur etiam quoad alias actiones humanas; imò aliqui judicant sufficere, si momento uno priùs compleatur.

42. *An ad complendam ætatem pro Ordinibus requisitam debeat computari dies bissextilis?* ℟. Probabile quidem esse, quòd non sit computandus; at veriùs computandum esse, & quidem ita, ut cum die antecedenti pro uno numeretur, utì Ecclesia computat; quia is dies requiritur ad complendum annum naturalem, quo Sol Zodiacum perlustrat, quod ab Ecclesia exigitur; aliàs liceret demere omnes dies bissextiles, qui fuerunt per totam vitam ordinandi.

43. *An qui dubitat de completa legitima ætate, ordinari possit?* ℟. Non posse, quia præceptum est in possessione.

44. *Quando ætas computanda est, & tempus nativitatis ignoratur, quamdiu expectan-*

pectandum est, ut securè procedatur in susceptione Ordinum? Resp. Si nativitatis hora ignoretur, integer dies expectandus erit. Si ignoretur dies, & sciatur mensis, totus mensis expectandus; si mensis ignoretur, & anni notitia habeatur, expectetur annus integer.

45. *Quid ampliùs requiritur ad ritè suscipiendos Ordines?* ℟. Requiri morum probitatem Episcopi judiciô, de qua ordinandi bonum habere debent testimonium, à quo, dicetur suis locis.

46. *Quid adhuc?* ℟. Requiri sufficientem scientiam; qualis autem pro singulis, dicetur suis locis.

47. *An adhuc aliquid requiritur?* ℟. Requiri statuta tempora ab Ecclesia. Quæ illa, dicetur alibi.

48. *Quid ultrà?* ℟. Requiri debita temporum interstitia suis locis determinanda.

49. *Quid adhuc?* ℟. Requiri, ut ordinandus non habeat ullum Canonicum impedimentum: scilicet, ut non sit irregularis, censurâ, vel aliô præceptô detentus ab Ordinum susceptione. Aliqui numerant inter impedimenta etiam Novitiatum Religionis; at contrarium verius est, quia id nullo jure prohiberi scitur; *Capit. enim 6. Monasterii 19. distinct. 3. verbo Tonsura*, non loquitur de Tonsura Clericali, sed Monachali. *Ex Closs. 7.*

50. *Quid tandem requiritur?* ℟. Requiri saltem pro majoribus Ordinibus, ut postea dicetur, ut Ordinandus habeat sufficientem titulum. Antiqui Canones requirebant quidem etiam pro minoribus, sed consuetudine abrogatum; siquidem hi à statu clericali recedere possint, & Trid. solorum sacrorum Ordinum, quoad hoc, mentionem faciat.

Minister Ordinum.

51. *Quis est ordinarius Minister Ordinum, quantum ad valorem?* ℟. Solus & omnis Episcopus Sacerdos, & consecratus. *Ex Concil. Flor. & Trid. sess. 23. cap. 4.*

52. *An saltem possit alicui non Episcopo delegari collatio Ordinum?* ℟. Posse à solo Pontifice in ordine ad aliquos Ordines, ut infrà dicetur.

53. *An à bonis Angelis, DEI dispensatione, conferri possint Ordines?* ℟. Quamvis de lege ordinaria omnium Sacramentorum Ministri constituti sint homines viatores, possunt tamen extraordinariè constitui à DEO dispensante in lege, etiam Angeli sancti; quia ipse DEUS neque Sacramentis, neque Ecclesiæ Ministris virtutem suam alligavit.

54. *An eandem dispensationem facere possit DEUS cum anima Sancti alicujus separata à corpore?* ℟. Posse, quia eadem est ratio, quæ de Angelis.

55. *An Episcopus Sacerdos, sed qui nullum* Or-

Ordinem suscepit, possit validè conferre reliquos Ordines, quos ipse non habet? ℟. Posse; quia potestas conferendi non habetur ab his Ordinibus, sed ab episcopali charactere.

56. *An Episcopus depositus, degradatus, irregularis, excommunicatus, suspensus, interdictus, hæreticus, simoniacus, qui Episcopatui renuntiavit, possit ordinare?* ℟. Posse validè, sed non licitè.

57. *Quis est ordinarius Minister Ordinum, quoad licitam collationem?* ℟. Esse proprium ordinandi Episcopum; oppositum enim est, Tiberio teste, cap. 7. & jure Divino vetitum, & ab Ecclesia sub pœna annuæ suspensionis ab exercitio ordinandi prohibitum, ita ut sic ordinatus maneat suspensus ad sui Episcopi placitum, ab executione Ordinum sic susceptorum; qua de causa *Cap.17. Concil. Nicani* irrita dicitur hæc ordinatio, quasi ita se habens quoad exercitium, ac si nulla esset. Similiter Titulares Episcopi, etiam in loco exempto residentes, prohibentur ordinare sub pœna annuæ suspensionis ab exercitio Pontificalium, non obstante quôcunque privilegiô ordinandi ad se accedentes, etiam familiares, & commensales. *Trid. sess. 14. cap. 2.*

Episcopus proprius quis est.

58. *Quis est proprius Episcopus, qui ordinare potest subditum?* ℟. Est Episcopus loci, vel originis, vel domicilii, vel beneficii.

59. *Quis est Episcopus loci originis?* ℟. Quoad Ordines est is, in cujus Diœcesi parentes Ordines suscipientis, dum iste natus est, domicilium habebant, ex communi; quia ibi censetur fictione juris natus filius, quamvis alibi natus. Aliqui tamen judicant probabile, quòd locus originis dici possit, in quo quis natus est, etiam per transennam.

60. *An non etiam locus originis ordinandi censeri potest, in quo ejus pater fuit ex ejusdem avo, illic domicilium habente, natus?* ℟. Affirmativè, quia domicilium originis paternæ est etiam domicilium originis filii, quamvis filius natus sit in alio domicilio, ad quod pater se transtulit. Ita decisum esse *à Congregat. Cardin. Anno 1599. 1628. & 1629. refert Diana apud Gobat tractat. 8. num. 281.*

61. *At nunquid sufficiet etiam locus originis avi ordinandi?* ℟. Non sufficere, quia non ex avi, sed ex patris origine dicitur quis originarius. Et si attenderetur avita origo, inquirendus esset ager Damascenus, ubi Adam creatus est.

62. *Sufficitne etiam locus originis matris?* ℟. Non sufficere, quia filius sequitur originem patris, non matris, *ex L. 3. Codic. de Munic. & Orig.* nisi fortè filius esset illegitimus, quia talis filius quoad hoc sequitur ventrem; & sicut mater illegitimorum notior

tior eſt quàm pater, ita & patria illius notior eſt quàm iſtius. Cæterùm ſi patria patris ignoratur, tunc etiam legitimi filii patria deſumetur à matris patria.

63. *Quis eſt Epiſcopus domicilii?* ℟. Eſt Epiſcopus Diœceſis, in qua ordinandus ſedem fixit cum animo ibi perpetuò habitandi, niſi eam deſerere cogatur, vel aliud melius occurrat.

64. *Quot modis acquiritur domicilium quoad hunc effectum ordinationis?* ℟. Tribus: Primò, origine, de quo jam dictum eſt. Secundò, Lege. Tertiò, Habitatione.

65. *Quomodo acquiritur domicilium lege?* ℟. Per Principis privilegium, ſtatutum, adeptionem dignitatis, aut Prælaturæ in loco, Monachatum, Clericatum, Lectuoram, aut Profeſſuram publicam, Matrimonium, &c. *Jord. vol. 3. lib. 13. tit. 8. num. 230.* teſtans, majorem partem quindecim modorum, quos recenſet, valere ad effectum pro Ordinibus.

66. *Ut domicilium habitatione acquiratur à pubere, quæ conditiones requiruntur?* ℟. Duæ: Primò, ut quis re ipſa verſetur in eo loco. Secundò, ut verſetur cum animo manendi ibi perpetuò: cenſetur autem quis manere velle perpetuò, ſi velit illic manere, donec aliquid inde eum avocet.

67. *Potéſtne quis duplex domicilium habitationis habere?* ℟. Poteſt, quando con-

ſtanter ita jam in hoc, jam in illo loco moratur, ut cogitet totam vitam partim in hoc, partim in illo loco tranſigere.

68. *Quid ſi non habitet æqualiter in utroque?* ℞. Juxta *Gloſſam in Cap. Cùm nullus, de Temp. Ord. in ſexto*, ibi eſſe ejus domicilium, ubi eſt major pars ejus bonorum. Imò juxta Jord. quando quis parat domum, & cum effectu habitat in ea, & in pluribus locis converſatur, præſumi, velle conſtituere plura domicilia, & poſſe à quolibet talium domiciliorum Epiſcopo ordinari; ſecùs ſi abſque habitatione poſſideret bona in diverſis locis, aut ſine bonis aliquando alicubi verſaretur. Cæterùm ex Diana nec requiritur, ut habens duo domicilia habitet in utroque æqualiter mathematicè, ſed ſufficit, ſi habitet propè æqualiter, ſeu moraliter.

69. *Quando acquiritur domicilium habitatione?* ℞. Primô horæ quadrante, quô quis incipit habitare in aliquo loco animo manendi ad mortem.

70. *Quid ſi aliquis maneat multis annis in loco, ſed non animô ibi manendi?* ℞. Tunc non contrahi domicilium quoad Ordines.

71. *Quando quis non declaravit animum manendi in loco, unde probari poteſt hic animus?* ℞. Eſſe conjecturam receptiſſimam, ſi quis alicubi decem annis habitavit; præſumitur enim in dubio, voluiſſe ibi figere ſedem perpetuam; talis enim ibi contrahit forum civiliter, & criminaliter.

72. Stu-

72. *Studiosi morantes decem, vel duodecim annis in Academia animô illic absolvendi studia, contrahúntne domicilium?* ℞. Minimè, quia clarum est, quòd non animô perpetuò commorandi ibi habitârint.

73. *Cujus autem domicilii censentur esse filii impuberes?* ℞. Illos habere idem domicilium, quod pater, quia ii non possunt sibi ullum eligere. *Navar. lib. 1. Const. de temp. Ordin. Const. 3. apud Gobat n. 299.*

74. *Quid autem de filiis puberibus?* ℞. Licèt ii possint facere electionem domicilii, ut si sint filiifamilias, quamdiu tamen illam non faciunt, gaudent domiciliô paternô. *Navar. cit. apud Gobat.*

75. *Quid si autem mater supervivat?* ℞. Si illa commigrat aliò, tunc filii, qui adhuc sunt sub potestate matris, sortiuntur maternum domicilium.

76. *Quid Barones & Nobiles habent quoad hoc privilegii?* ℞. Illos censeri cives omnium locorum, in quibus possident feuda, possúntque eorum filii illic Ordinibus insigniri, esto pater non inhabitet in loco illius feudi. *Barbos. alleg. 4. n. 32.*

77. *Quid de officialibus alicujus loci?* ℞. Si officia habeant perpetua, quamvis non efficiantur cives loci, acquirunt tamen domicilium pro se, & filiis, *Barb. n. 34.* Aliud est, si officia sint temporaria, hoc est (*ut Gobat interpretatur de Ordinibus tract. 8. n. 301.*) si non solent relinqui ad vitam.

78. *In dubio, quomodo probatur animus perpetuò manendi in aliquo loco?* ℟. Primò, si per decem annos ibi habitavit, nisi moraliter constet, defuisse animum ibi perpetuò habitandi, ut si ibi fuit causâ studiorum, præfecturæ non perpetuæ, &c. Secundò, cùm omnia alienavit, quæ in primo loco domicilii habebat, & emit in alio, ubi habitat. Tertiò, si quis à principio se declaravit, quòd ibi velit habitare. Quartò, ex aliis circumstantiis prudentis arbitriô.

79. *Ubi censentur Regulares habere domicilium?* ℟. Ubi Prælaturam habent, vel ubi permanenter habitant.

80. *Relegatus, an contrahat domicilium in loco relegationis?* ℟. Cùm is fiat irregularis, non debet esse sollicitus, quoad se in ordine ad suscipiendos Ordines, an in loco relegationis contrahat domicilium. Quoad filios verò contrahit, si vel animum habuit ibi perpetuò habitandi, vel relegatio sit perpetua; vel si sit quidem temporalis, majorem tamen bonorum suorum partem ibi habeat; in his enim ultimis duobus casibus præsumitur domicilium. Unde si à priore domicilio perpetuò arceatur, cessat illud etiam in ordine ad proles, secùs si non perpetuò.

81. *Quis est Episcopus beneficii?* ℟. Est Episcopus Diœcesis, in qua quis habet Eccle-

clesiasticum beneficium, sibi collatum, & possessum, licèt collatio illius ad alium Episcopum spectet.

82. *Sufficitne sola possessio, sine collatione?* Respondet Tiberius, sufficere, licèt non sit titulus justus; collatio autem sine possessione non sufficit.

83. *Sufficitne Præbenda temporalis, v. g. ratione Lecturæ, vel Capellania non collativa, licèt perpetua, vel pensio?* ℞. Non sufficere, quia hæc non sunt beneficia Ecclesiastica.

84. *Requiritúrne beneficium cum residentia?* ℞. Non requiri; quia *in Cap. 3. de tempore Ord.* contradistinguitur subjectio ratione beneficii, à subjectione ratione domicilii.

85. *Requiritúrne, ut beneficium sit sufficiens ad sustentationem?* ℞. Non requiri, quia aliud est, quòd ad illius titulum ordinari non possit, aliud, quòd ab Episcopo loci beneficii possit ordinari.

86. *Obéstne, si beneficium sit manuale, sive ad nutum amovibile?* ℞. Nihil obesse, quia est verum beneficium.

87. *Sufficitne beneficium habitum tantùm in Commendam (sed perpetuam) in sui commodum?* Resp. Sufficere; secus si Commenda sit temporalis in commodum Ecclesiæ.

88. *Obéstne, si beneficium sit collatum in*

in eum finem, ut possit ordinari? ℟. Non obesse, quia non censetur fraus, sicut nec fraus censetur, si quis eo fine novum domicilium contrahat.

89. *A quo est ordinandus, qui nullius est Diœcesis?* ℟. Ab Episcopo viciniore, vel de ejus licentia.

90. *A quo ordinandus vagus?* ℟. Ab Episcopo originis; si etiam pater vagus fuit, dum natus est, ab Episcopo originis avi; si autem & avus vagus fuit, dum pater natus est, videtur ordinandus ab Episcopo loci, in quo invenitur tempore ordinationis; cùm enim omnibus locis carere supponatur, non magis est subjectus uni Episcopo, quàm alteri; poterit proinde se, cui maluerit, subjicere, sicut quoad Parochiam in ordine ad Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii.

91. *Potéstne tamen Episcopus ordinare alienos subditos, & quando?* ℟. Potest cum licentia proprii Episcopi. *Ex Trid. sess. 23. de reformat. c. 3.*

92. *An possit aliquando etiam sine licentia proprii Episcopi?* ℟. Posse in quatuor casibus. *Ex Trid. sess. 23. de reform. cap. 9.* Et quidem primò Episcopus actualis potest ordinare familiarem suum per triennium moraliter continuum, etiam antequam haberet Episcopatum inchoatum, secum habitantem; non autem, si absens serviat; quia tunc non potest illius mores cognoscere.

93. *Quando talem ordinat Episcopus, ad quid obligatur?* ℟. Debet illi statim (dum aliquod vacaverit) beneficium conferre, ne mendicare cogatur; nisi fortè ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, ad titulum patrimonii, vel pensionis ordinaverit. Utilitas autem censetur sufficiens, ut meliùs ejus servitiô uti possit. Hæc licentia negatur Episcopo Titulari à Trident.

94. *Quando adhuc potest ordinare alienum subditum sine licentia Ordinarii?* ℟. Potest secundò, dum Episcopus ideo est publicè suspensus, quia alienos subditos ordinavit; hoc enim casu licet illius subditos ab aliis vicinis Episcopis, in propriis tamen Diœcesibus, ordinari, *ex Trid.*

95. *Quando ulteriùs?* ℟. Potest tertiò, dum quis ordinaretur bona fide sub spe ratihabitionis prudenter concepta, quia ratihabitio mandato comparatur.

96. *Quando tandem ultimò?* ℟. Potest quartò, dum quis à Sede Apostolica privilegium habet à quolibet Episcopo Ordines suscipiendi; talis tamen debet habère testimonium sui Ordinarii de vita & moribus, sine quo & ipse, & ordinans suspensionem incurrunt. *Trid. sess. 23. c. 8.*

Dimissoriæ.

97. *Si quis velit ab alieno Episcopo ordinari, quibus litteris instructus esse debet?* ℟.

Dimissoriis, quæ contineant licentiam ab alio suscipiendi Ordines, causam dimittendi, dispensationem in interstitiis, & de Jure communi testimonium de sufficientia doctrinæ; quod tamen postremum rarò in usu est in his partibus, propter distantiam sæpè ordinandi à suo Ordinario ob amplitudinem Episcopatuum.

98. *Quos possunt ordinare, vel quibus licentiam dare Abbates, & alii habentes facultatem conferendi Minores?* ℞. Ex *Trident. sess. 23. c. 10. de Reformat.* posse ordinare tantùm Regulares sui Ordinis Professos, sibi subditos, absque alia Episcoporum facultate.

99. *An hæc facultas extendatur etiam ad Novitios?* Resp. Negativè, quia Religiosi non sunt, nec suis Prælatis simpliciter subditi, sed tantùm in ordine ad experimentum; Tridentinum enim exigit absolutam subjectionem.

100. *Quid si autem aliquis illorum habeat privilegium suscipiendi Ordines?* ℞. Talem debere ordinari ab Episcopo, & veriùs posse ordinari ab Episcopo Diœcesis, in qua est Monasterium, quia ex parte sua animum habet perpetuò manendi in Religione, nisi Religionis asperitatibus debilitetur, adeoque ibi domicilium acquirit.

101. *Quid verò, si Novitius habeat dimissorias à suo Ordinario, sumendi Ordines à quocunque, vel specialiter à suo Abbate?*

℞.

℞. Tunc Abbas ejus poterit eum ordinare; requiritur tamen Episcopi consensus, in cujus Diœcesi fit ordinatio, licèt fiat in Monasterio exempto. *Ex Trid. sess. 6. c. 6. de reformat.* prohibente exercitium Pontificalium in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii.

102. *An Prælati Regulares possint suis subditis Regularibus dimissorias concedere?* ℞. Posse, quia expressa habent privilegia, *à Trid.* non revocata, nisi in ordine ad Sæculares, & Superiores Regularium, utpote habentes quasi Episcopalem jurisdictionem, sunt eorum Ordinarii.

103. *Ad quem Episcopum tenentur eas dimissorias dare?* ℞. Ad Episcopum Diœcesis, in qua est Monasterium, si præsens sit, & habiturus ordinationem, sin minùs, possunt ad alium, (expressâ tamen causâ absentiæ, vel ordinationis non habendæ, sub pœna privationis officii, dignitatis, vocis, &c.) modò de industria non distulerint, sed non est in usu, Societas JESU potest dimissorias dare ad quoscunque Episcopos, *Ex Bulla Greg. XIII.* cujus privilegium Clemens non revocavit.

104. *An Prælati Regulares possint Novitiis suis dare dimissorias?* ℞. Negat communis, quia non sunt propriè subditi; probabile tamen est, posse Prælatos habentes privilegium dandi dimissorias ad quemcunque Episcopum; quia

quia probabile eſt, Novitios gaudere privilegiis ſuæ Religionis.

105. *An alii præter Epiſcopos, Abbates, & Prælatos Regularium poſſint dimiſſorias concedere?* ℟. Poſſe: Primò Legatum à latere, ex indulto illis concedi ſolito.

106. *Quis adhuc?* ℟. Vicarius Epiſcopi Generalis, vel de expreſſa Epiſcopi licentia, vel cùm Epiſcopus eſt in remotis, hoc eſt, vel extra Provinciam, vel ultra unam, vel duas diætas, vel judicio prudentis. Veriùs, dum eſt extra Diœceſim, modò habeat mandatum generale in forma, ut declaravit Congregatio. Vicarius autem, ſi ſit Epiſcopus, poteſt ipſe abſente Epiſcopo Ordines conferre.

107. *Quis alius?* ℟. Capitulum, vel ipſius Vicarius, ſede vacante ultra annum: intra annum autem tantùm tunc poteſt, cùm quis ratione beneficii obtenti, vel obtinendi arctatur ad Ordines ſuſcipiendos, *Trid. ſeſſ. 7. cap. 10. Seſſ. 13. cap. 10. de reformat.* Si non arctatur, & tamen ordinetur, in Minoribus privatur (per ſententiam tamen) privilegiô Clericali, præſertim in criminalibus; ſi verò in majoribus, eſt ipſo jure ſuſpenſus ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati. Hanc prohibitionem aliqui extendunt ad primam Tonſuram, ſed ſine pœnæ incurſione. Cæterùm Sede Apoſtolica vacante, ejus Vicarius Generalis dat dimiſſorias ad omnes Epiſcopos.

108. *Proximè allegatis Decretis prohibetúrne Capitulum, vel Vicarius etiam dare literas testimoniales de vita & moribus habentibus licentiam à Sede Apostolica?* Resp. Negativè, quia testimonium non sunt dimissoriæ. Imò, si Capitulum subditos habeat, à subditis vacantis Sedis diversos, posse Episcopo externo exercitium Pontificalium concedere, pro ordinationibus suorum, concedunt aliqui; uti etiam pro ordinatione Religiosorum, quibus sui Prælati dimissorias dare possunt.

109. *An valida sint dimissoria, si vel concedens, vel cui conceduntur, sint excommunicati?* Resp. Primò, nunquam licere excommunicato dare, vel accipere talem licentiam, quia nunquam fit sine communicatione, quæ est prohibita. Secundò, si solus ordinandus sit excommunicatus, valent dimissoriæ, quia usus licentiæ non est actus jurisdictionis. Tertiò, licentiam datam ab excommunicato non tolerato, nullam esse, quia est actus jurisdictionis, siquidem transfunditur sua jurisdictio in alium.

110. *An dimissoria re integrâ expirent, per excommunicationem, mortem, cessationem officii concedentis?* Resp. Negativè; quia gratiæ factæ non expirant morte concedentis. Ex *cap. 30. si cui, de præbendis in 6.*

111. *Possúntne tamen revocari à successore?*

fore? ℞. Possunt, quia omnes licentiæ à quocunque successore, æqualem potestatem habente revocari possunt. Idem dicendum de dimissoriis à Capitulo datis Sede vacante, quæ Sede factâ plenâ à novo Episcopo revocari possunt.

112. *An si Episcopus, postquam dimissorias dedit, dicat, ne ab alio ordinetur, quia ipse in secundis proximis ordinationum temporibus vult ordinare, censeatur dimissorias revocâsse, & consequenter si taliter dimissus, ab alio ordinetur, sit ordinatus sine dimissoriis?* ℞. Non videri, quia gratia concessa non censetur revocata, nisi expressè constet revocatio; per illa autem verba potiùs ostenditur voluntas conferendi Ordines, quàm revocandi dimissorias.

Ordinatio extra Diœcesim.

113. *An & quomodo Episcopus possit extra suam Diœcesim ordinare?* ℞. Posse tantùm cum licentia expressa Episcopi diœcesani, & tantùm personas eidem Ordinario subjectas. *Ex Trid. sess. 6. cap. 5. de reformat.*

114. *An non sufficiat licentia alicujus alterius Prælati, sub cujus jurisdictione est locus, saltem si sit Patriarcha vel Episcopus non habens Episcopatum, sed tantùm Præposituram, vel Abbatiam?* ℞. Non sufficere, quia hi non sunt Episcopi Diœcesani, nisi

forte

fortè locus sit nullius Diœcesis. Et in hac lege comprehendi etiam Archiepiscopos, quando exercent Pontificalia ut Episcopi, tradunt aliqui.

115. *Quid circa hoc declaravit sacra Congregatio?* ℟. Declaravit primò, non obstare Trident. quò minùs talis Episcopus ordinare possit proprios subditos.

116. *Quid adhuc?* ℟. Quòd possit etiam ordinare alienos accedentes cum dimissoriis suorum Episcoporum, vel licentia Sedis Apostolicæ sumendi Ordines à quocunque Antistite, &c. continente causam, cur non ordinetur à proprio, & cum commendatitiis propriis, & nonnisi prævio diligenti examine, juxta mentem *Tridentini sess. 7. cap. 11. de reform.* Idem potest de licentia Capituli, vel Vicarii Sede post annum vacante.

117. *An possit Episcopus extra suam Diœcesim, saltem primam Tonsuram dare suo subdito?* ℟. Id aliquos concedere. Tiberio tamen non placet, nec mihi cum Barbosa; quia collatio Tonsuræ spectat ad exercitium Pontificalium, quod in aliena Diœcesi prohibitum est.

118. *An licentia suscipiendi Ordines à non suo Episcopo, debeat necessariò dari scripto?* ℟. Posse dari etiam oretenus, quia Concilium requirit duntaxat consensum proprii Episcopi. Tamen ad majorem faciliorémque fidem facien-

ciendam solet expediri per literas patentes, quæ dimissoriæ vocantur.

Examen Ordinandi.

119. *Debétne examen præmitti ordinationi?* ℟. Debet. *Ex Trident. de reformat.*

120. *Quale debet hoc examen esse?* ℟. Debet esse diligens, ac rigorosum, non autem perfunctorium, &, ut dicitur, tantùm pro forma. *Ex Cap. Nihil, de Elect.*

121. *Debétne Episcopus interesse huic examini?* ℟. Debet quidem ex dispositione *Trid. sess. 23. cap. 7. de reform.* Mos tamen Germaniæ permittit, ut ejus Vicarius in hoc opere ejus vices gerat.

122. *Quis Episcopus hoc examen instituere debet?* ℟. Proprius ordinandi, *ex eod. Trid.*

123. *Quid autem in eo casu, in quo quis dimittitur à suo Ordinario?* ℟. *Ex Jure Trid.* Nullum dimitti debere, nisi priùs examinatum; ac proinde dimittenti incumbere, explorare sufficientiam dimittendi.

124. *An dimittens non possit hoc examen committere alteri?* ℟. Potest; imprimis (ut dixi) suo Vicario; item Superioribus dimittendi; aliis, quos Episcopus designandos judicaverit. Similiter, & Episcopo, ad quem dimittitur, quod hodie fit communiter in Germania, propter distantiam Ordinando-

rum

rum à ſuis Ordinariis ratione ſtudiorum. *Decidit Congreg.*

125. *Examinatum & dimiſſum à proprio Epiſcopo, tenetúrne Epiſcopus ordinans examinare?* ℞. Non tenetur, quia nulla lex talis extat, habet tamen jus integrum, eum denuò examinandi.

126. *Si quis ordinandus, conſcius ſuæ ignorantiæ, ſubſtitueret loco ſuî ad examen unum alium, peccarétne graviter?* ℞. Omninò; ſiquidem ſine diſpenſatione, aut declaratione, per tantam fraudem voluit ſuſcipere Ordines.

127. *Potéſtne Epiſcopus remittere aliquando hoc examen?* ℞. Poteſt iis, de quorum doctrina aliunde conſtat, quia ceſſat finis examinis.

128. *Súntne exempti Religioſi ab hoc examine?* ℞. Negativè, quia privilegia eorum quoad hoc ſunt à Trid. revocata.

129. *Quid ſi aliqui ſimile privilegium acquiſiverint poſt Trid.* ℞. Tales ab Epiſcopis examinari non debere. *Vide Tiberium cap. 8. pag. 172. §. Et addit ibidem, &c. Aut Pellizarium tr. 8. c. 2. ſect. 3. n. 169.*

130. *Epiſcopus, & Examinatores, peccántne graviter, approbando ignorantem?* ℞. Peccare omninò, maximè ad Ordines ſacros.

131. *An ſaltem cum aliquibus indulgentiis agi poſſit?* ℞. Poteſt cum Regularibus, qui Choro tantùm inſervire debent, modò

ſciant

ſciant benè legere, & cantare; ſic enim ſunt ſufficientes miniſtri Eccleſiæ, & ſuæ Religionis.

132. *Potéſtne illegitimus ſuſcipere Ordines?* ℟. Poſſe validè, ſed non licitè, manerèque irregularem, ut ſuſcipiat; ac proinde pro ſuſcipiendis Ordinibus debere eſſe inſtructum litteris nataliriis, legitimitatem teſtantibus; vel aliis inſtrumentis, quibus ſe legitimatum comprobet.

133. *Tenetúrne ordinans & ordinandus jejunare pridie ordinationis?* ℟. Verbis Patris Gobat *tract. 8. num. 357. Quia nec reperio textum in jure, qui id imperet, nec Doctores priùs hoc loco nominati, neque Navarrus, Bonacina, Filiucius, Tan, Palaus, à me ultrà priùs citatos lecti, quidquam tale indicant; ideo neque ordinaturus, neque ordinandus tenentur præmittere pridianum jejunium.*

134. *An excommunicatus, irregularis, furtivè accedens, validè ordinetur, eò, quòd ante Ordinationem Epiſcopus promulgari faciat ſe nolle talem ordinare?* ℟. Cum Tamb. probabiliùs validè ordinari; tum quia poſt illam proteſtationem ſolet Epiſcopus abſolvere Ordinandos ab omni excommunicatione ad effectum ſolùm illos Ordines ſuſcipiendi; tum quia illam proteſtationem ad terrorem ſolùm facit; habet autem animum etiam intruſos ordinandi; tum quia idem Epiſcopus,

pus, nisi oppositum constet, præsumitur, quando actu ordinat, voluntatem priorem, si quam contrariam habuit, mutare, velléque illum jam præsentem ordinare. Cæterùm, si verè haberet actu contrariam voluntatem, nulla fieret ordinatio ob defectum intentionis, ex parte conferentis Ordines essentialiter requisitæ.

135. *Quo loco conferendi sunt Ordines?* ℞. Majores Ordines, si publicè conferantur, debent conferri in Ecclesia Cathedrali, aut in alia ex dignioribus, præsentibus Canonicis & Clero loci; privatim conferri possunt etiam in sacello domestico. Prima Tonsura potest conferri, sicut quovis anni tempore & die, ita quovis loco; Minores Ordines in quavis Ecclesia Episcopatus, sed non extra diœcesim sine licentia Diœcesani.

136. *Quotuplices sunt generatim Ordines?* ℞. Duplices, Minores scilicet, qui sacri non dicuntur, & majores, qui sacri vocantur. Nunc agendum erit de prioribus, postea de istis.

 (†) 

CA-

CAPUT IV.

De minoribus Ordinibus in communi.

Eorum natura.

1.

CUr alii dicuntur Minores, alii Majores Ordines? Resp. Quia Minores dicti, sunt instituti in minori & remotiori gradu ad Sacrificium Missæ; Majores verò propius ad illud accedunt, & immediatè disponunt ad actum aliquem, vel ministerium circa Eucharistiam, vel ejus materiam exhibendum.

2. *Cur autem Minores non vocantur sacri, sicut Majores?* ℟. Etiam Minores esse sacros eo modo, quo omnia Sacramenta sunt signa sacra; Majores tamen speciali titulo sacros esse, tum propter annexum votum castitatis solenne, per quod suscipientes illos specialiter DEO consecrantur, tum propter eam rationem, propter quam majores nuncupantur.

3. *Quot & qui sunt minores Ordines?* ℟. Esse quatuor: Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolytatum.

Prærequisita.

4. *Quæ prærequiruntur ad validam & licitam susceptionem Minorum Ordinum?* ℟. Hæc satis colligi posse ex dictis pag. 30. n. 17. & pag. 47. à n. 28.

5. *Quomodo accedere debent ad recipiendam Tonsuram & Ordines illi, qui Tonsuram & Ostiariatum, ac alios Minores Ordines suscipere volunt?* ℟. Tonsurandi debent habere superpelliceum super brachium sinistrum, & candelam in manu dextra; Ordinandi verò in Minoribus debent esse ab Examinatoribus approbati, habere vestem talarem nigri coloris, esse superpelliceô induti, habere Tonsuram, candelam offerendam, & sufficientem præparationem ad Sacram Communionem.

6. *An recepturus Minores Ordines obligetur eo die communicare?* ℟. Negativè, ob easdem rationes, quæ allatæ sunt de prima Tonsura, pag. 30. num. 20.

7. *Qualis literatura requiritur pro Minoribus Ordinibus?* ℟. Præter eam, quam pag. 31. n. 25, diximus, requiri ad primam Tonsuram, requiritur *à Concilio Trid. sess. 23. c. 11.* ut Ordinandus intelligat Latinum.

8. *Quæ ætas pro iisdem est necessaria?* ℟. Aliqui putant requiri annum decimumquartum, alii existimant sufficere, si sit supra septi-

nium, dummodo habeat ea, quæ requirit Trident. nempe dictam literaturam.

9. *Censetúrne satis literatus pro his Ordinibus is, de quo est spes profectus in Latina lingua?* ℞. Id probabilissimum asseri à Tamburino.

10. *Quibus temporibus possunt hi Ordines conferri?* ℞. Primò, in sex Sabbathis statutis pro Majoribus Ordinibus. Secundò, singulis Dominicis & Festis ex præcepto. Tertiò, consuetudo obtinuit, ut conferantur etiam in Vesperis feriæ sextæ ante Sabbathum generalis Ordinationis omnes Minores, & prima Tonsura; qui, ut sit generalis ordinatio, ad illum diem reservantur.

11. *An hi Ordines debeant conferri cum interstitiis?* ℞. A Trid. requiri intervallum inter singulos, non tamen determinari quantum; nihilominùs relinqui prudenti judicio Episcopi, si videatur meliùs simul conferre. Hodie in Germania praxis est, omnes simul cum prima Tonsura conferri.

12. *Quid autem de intervallo inter Acolytatum, & Subdiaconatum?* ℞. A Trident. requiri intervallum unius anni, nisi tamen legitima consuetudo aliud alicubi introduxerit.

13. *Potéstne tamen Episcopus in hoc intervallo dispensare, etiam ubi non est consuetudo?* ℞. Potest, si adsit causa, quia id ipsi non prohibetur. Si autem sit consuetudo sine in-

intervallo conferendi, non requiritur ulla causa; quia Trid. non derogavit consuetudini. Pariter sentiendum de Minoribus ad invicem comparatis.

14. *An collatio Minorum Ordinum possit simplici Sacerdoti committi?* Resp. Posse à solo Pontifice. Patet ex praxi, quâ committitur Cardinalibus, & Abbatibus Sacerdotibus.

15. *Debétne pro Minoribus exhiberi testimonium de moribus & vita?* ℟. Debet, ex dispositione *Concil. Trident. sess. 23. c. 5. de Reform.*

16. *A quo debet dari hoc testimonium?* ℟. Ex eadem dispositione, a Parocho, & à Magistro scholæ, in qua Ordinandi educantur.

17. *Requiritúrne ad Minores Ordines titulus mensæ?* ℟. Non requiri, quia Trident. requirit solùm pro sacris Ordinibus, & constituti in minoribus, possunt redire ad statum secularem.

Obligationes.

18. *Habéntne Minores Ordines aliquam annexam obligationem?* ℟. Nullam specialem per se, nisi primò ad recitandos certos Psalmos sibi ab Episcopo in ordinatione impositos. Secundò, ad habitum, & Tonsuram, solùm si habeant dignitatem Ecclesiasti-

cam, vel beneficium, vel pensionem sexaginta aureos de Camera excedentem. Tertiò, ad horas Canonicas, si habeant Beneficium; vel sint Regulares Choro addicti. Si pensionem habent infra sexaginta aureos, tenentur tantùm ad horas Beatæ Virginis recitandas.

Pœna malæ Ordinationis.

19. *Quando & quali pœna obnoxii sunt malè conferentes & suscipientes Minores Ordines?* ℞. Primò, eum, qui accipit eos ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, schismatico, hæretico, suspendi ab Ordine malè suscepto. *Cap. 1, & 2. de schism. & ord. ab eo.* Debet autem Episcopus excommunicatus esse ut talis denunciatus, vel excommunicatus per publicam Clerici percussionem, & quidem cum ordinato à schismatico, dispensat solus Papa.

20. *Quando, & qualis pœna secundò?* ℞. Ordinatus per simoniam manet suspensus ab Ordinibus sic susceptis, & Ordinans suspenditur à collatione Ordinum, à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, *Capit. ex multis 1. q. & alibi.* Et cum sciente committente simoniam dispensat solus Pontifex, cum ignoranter incurrente, etiam Episcopus.

21. *Quando & qualis pœna tertiò?* ℞.

Qui

Qui hos Ordines innodatus excommunicatione ob Clerici percussionem recipit, (exceptâ tamen primâ Tonsurâ) suspenditur, si sit Clericus Regularis; si verò sit Clericus sæcularis, est deponendus à susceptis, *Capit. Cùm illorum, de sent. excom.* Et cum hoc, si Ordinem sciens sic suscipiat, dispensat solus Pontifex.

22. *Quando & qualis pœna quartò?* ℞. Qui hos Ordines recipit ab Episcopo, quamvis proprio, exercente Pontificalia in aliena Diœcesi, absque licentia Ordinarii loci, suspenditur, donec suo Prælato visum fuerit. *Trid. sess. 6. c. 2. de reform.*

23. *Quando quintò?* ℞. Qui ordinatur per saltum, suspenditur ab Ordine sic suscepto, donec susceperit Ordinem sic prætermissum, & accedente Episcopi dispensatione, *Trident. sess. 23. c. 1. de reform. Cap. Unico de Cleric. per saltum.*

24. *Quando sextò?* ℞. Qui ordinatur furtivè, suspenditur arbitriò Episcopi, datâ delinquenti pœnitentiâ pro mensura delicti, si ejusmodi ordinatus non fuit ad id prohibitus sub excommunicatione. *Capit. 1. de eo qui furtivè.*

25. *Quando septimò?* ℞. Qui hos Ordines culpabiliter recipit ab alieno Episcopo sine licentia, seu dimissoriis, seu literis commendatitiis proprii Ordinarii, suspenditur ab Ordine, quamdiu Episcopo proprio judicabi-

tur expedire. Ipſe verò Epiſcopus ſcienter, vel malâ fide ordinans, ſuſpenditur per annum à collatione Ordinum, ſive omnium, (ut Barboſa cum aliis putat) ſive solùm illorum, quos malè confert. *Trident. ſeſſ. 23. c. 8. de reform.*

26. *Eſtne de Ultramontanis quoad hoc aliquid ſpeciale conſtitutum?* ℟. *Eſt Decretum Urbani VIII. Secr. 1624. 11. Decembr.* qui nati ſunt ultra montes Alpium, quales ſunt Hiſpani, Luſitani, Galli, Germani, &c. ut item, qui nati ſunt extra Italiam, ſi velint ad Ordines etiam minores, etiam primam Tonſuram intra Italiam promoveri, debent ſub pœna ſuſpenſionis, aliiſque pœnis in dicto Decreto inflictis, non ſolùm oſtendere dimiſſorias à ſuis propriis Epiſcopis ſibi conceſſas, ſed eaſdem inſuper recognitas, probatas, & ſubſcriptas à Nuntio, ſeu collectoribus Apoſtolicis commorantibus in loco, unde ordinandi diſceſſerunt, & deinde item recognitas à Vicario Generali Urbis Romæ. Hoc tamen Decretum non afficere Religioſos, deciſum eſſe Florentiæ tenet *Marchin. c. 1. num. 17.*

27. *Si quis abſque dimiſſoriis proprii Epiſcopi petat ordinari ab alieno, ſed interim tempore, quô is ordinatur, inveniatur Epiſcopus proprius conceſſiſſe dimiſſorias, incurrétne ſic ordinatus ſuſpenſionem?* ℟. Si dimiſſoriæ ſint conceſſæ motu proprio, vel ad in-

instantiam alterius, quàm ipsius ordinandi, incurret; si verò ad ipsius instantiam sint datæ, v. g. per Nuntium, vel per literas, non incurret; quia gratia priori modô concessa, non prodest ignoranti, sicut secundô modô.

28. *Obligantúrne Minoristæ exercere officium?* ℞. *A Trident. seß. 23. cap. 11. de reform.* hoc solùm præscribi, ut in unoquoque munere juxta *præscriptum Episcopi* se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia, *nisi fortè in causa studiorum absint.*

CAPUT V.

De Minoribus Ordinibus in specie.

Ostiariatus.

I.

QUis est primus inter Minores Ordines? ℞. Est Ostiariatus.

2. *Quid est Ostiariatus?* ℞. Est Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas, claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam.

3. *Quæ est materia hujus Ordinis?* ℞. Remota sunt claves Ecclesiæ; aliqui addunt cymbalum; negant alii; proxima est traditio earum.

4. *Quid autem significat, quòd Ostiarius debeat pulsare tintinnabulum?* Resp. Significat, quòd etiam vocandi populum ad Ecclesiam potestatem habeat, vel pulsando ad elevationem admonendi populum ad specialem attentionem & devotionem erga mysterium.

5. *Si ordinando traderentur claves cellarii, forétne validus Ordo?* ℞. Videri materiam dubiam; quamvis enim eadem clavis, quæ est cellarii, facilè possit pro Ecclesia adhiberi, tamen ex forma hujus Ordinis colligi videtur, debere esse actu clavim Ecclesiæ, cùm dicantur tradi curæ ordinandi ea, *quæ his clavibus clauduntur*, in præsenti.

6. *Quæ est forma hujus Ordinis?* Resp. Sunt verba Episcopi ad traditionem materiæ prolata sequentia: *Sic age, quasi DEO rationem redditurus pro his rebus, quæ his clavibus clauduntur.*

7. *Quod est officium hujus Ordinis?* ℞. Est templum claudere, aperire, custodire, tum ipsum, tum res, quæ in illo sunt, admittere dignos, & excludere indignos, utì sunt Apostatæ, hæretici, excommunicati, interdicti, infideles, Catechumeni post Evangelium; item pulsare campanas, quod Caspar Hurt. intelligit tempore sacrificii. Denique aperire librum ei, qui est prædicaturus; hoc tamen in usu hodie non est.

8. *Estne officium Ostiarii, expellere canes ex tem-*

templo? ℟. Omninò canes morales, hoc est, homines indignos. Canes autem physicos expellere est munus sacristæ, aut alterius ad id constituti.

9. *An Ostiariatus non sit superfluus, cùm etiam Laici claudant & aperiant Ecclesias, & campanas pulsent, ad convocandum populum?* ℟. Laicos hæc non facere ex officio, sicut faciunt Ostiarii.

10. *Quis est secundus Ordo Minor?* ℟. Lectoratus.

Lectoratus.

11. *Quid est Lectoratus?* ℟. Est Ordo Ecclesiasticus, quo conceditur potestas, Prophetias & Scripturas legendi in Ecclesia.

12. *Quæ ejus materia?* ℟. Remota est liber continens sacras lectiones, id est, Epistolas & Prophetias, ac etiam Homilias & Sermones in Ecclesia DEI è Sanctis Patribus legi solitos. Proxima est ejusdem libri traditio.

13. *Si ordinando Lectori pro materia traderetur Breviarium, forétne validè ordinatus?* ℟. Affirmativè, quia in eo omnia prædicta continentur.

14. *Quæ est forma hujus Ordinis?* Resp. Esse verba Episcopi ad traditionem materiæ prolata, sequentia: *Accipe, & esto Verbi DEI relator, habiturus, si fideliter & viri-*

riliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui Verbum DEI ab initio benè ministraverunt.

15. *Quod est officium seu munus Lectoris?* ℞. Est legere prædictas Prophetias, & sacras Scripturas, etiam Evangelium, sed extra Missam; item Catechumenis baptizandis fidei rudimenta tradere. Olim panes & fructus Lector benedicebat, minori tamen solemnitate, quàm quæ convenit ordinatis in Sacris; hodie tamen id abrogatum esse testatur Marchinus.

16. *Quis est tertius Ordo Minor?* ℞. Exorcistatus.

Exorcistatus.

17. *Quid est Exorcistatus?* ℞. Est Ordo Ecclesiasticus, conferens potestatem imponendi manus super energumenos, legendique Exorcismos ad Dæmones fugandos.

18. *Qui sunt energumeni?* ℞. Sunt illi, qui sunt obsessi à dæmonibus.

19. *Quæ exorcistatûs materia?* ℞. Materia ejus remota est liber Exorcismorum; proxima, est ejusdem libri traditio.

20. *Quæ ejus forma?* ℞. Esse verba Episcopi, ad traditionem materiæ prolata, sequentia: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos.*

21. *Quod est officium, seu Munus Exorcistæ?* ℟. Est manus imponere super energumenos, atque exorcismos legere, quod hodie Sacerdotes peragunt. Item parare locum communicaturis. Olim edicebat Exorcista populo, ut qui non communicant, darent locum communicaturis, & aquam, quâ in ministerio baptismi usurus erat baptizans, infundebat. Sed hodie hæc ipsô non usu abrogata esse testatur Marchinus.

22. *Quis est quartus Ordo Minor?* ℟. Acolytatus.

Acolytatus.

23. *Quid est Acolytatus?* ℟. Est Ordo Ecclesiasticus, quo datur potestas accendendi lumina, cereúmque transferendi ad Altare, porrigendi Subdiacono urceolos pro Sacro Ministerio.

24. *Quæ est hujus Ordinis materia?* ℟. Remotam esse duplicem, unam candelabrum cum cereo extincto, alteram urceolos vacuos. Horum traditio est materia proxima.

25. *An ceroferarium, seu candelabrum, ac etiam pelvicula subjecta urceolis, sint materia necessaria hujus Ordinis?* ℟. Videri quidem, quòd ceroferarium sit materia necessaria, siquidem exprimitur in forma hujus Sacramenti; probabile tamen est, esse tantùm quid accessorium. De pelvicula autem, cùm nec fiat mentio, prorsus non erit necessaria.

26. *Requiritúrne, ut tangatur ab ordinando uterque urceolus?* Resp. Cum communi apud Tambur. sufficere, si unus tangatur.


27. *Quæ est forma hujus Ordinis?* ℟. Esse pariter duplicem, unam: *Accipe ceroferarium cum cereo, & scias, te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* Alteram: *Accipe urceolum, ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.*

28. *Quæ ex his materiis & formis est adæquata, an utraque simul?* ℟. Alii affirmant priorem; aliqui posteriorem; alii denique utramque simul esse materiam & formam adæquatam hujus Ordinis, & per ipsas imprimi characterem. Ego sentio cum ultimis, quia per utriusque materiæ traditionem confertur aliqua potestas, & assignatur ministerium ad hunc Ordinem pertinens.

29. *Quod est officium Acolyti?* Resp. Est præparare lumina ad Sacrificium; cereum, ubi est legendum Evangelium, ferre; Diacono & Subdiacono inservire, (nam inde dicitur Acolytus, latinè pedissequus) aquam & vinum in urceolis ministrare, eosdémque vinô & aquâ plenos eidem Subdiacono porrigere.

30. *Acolytus potéstne tangere Sacra vasa?* ℟. Cum *Tamb. in opusc. de Sacrif. Missæ. lib. 1. c. 2. num. 9.* non solùm acolytum, sed cæte-

teros, quocumque Ordine minore insignitos; imò, & solùm Tonsuratos posse licitè tangere sacra vasa, sed in quibus non sit sanctissima Eucharistia.



PARS II.

De Majoribus Ordinibus in communi; & in particulari de Subdiaconatu.

CAPUT I.

De iis, quæ communia sunt his Ordinibus.

Eorum Natura.

1.

CUr Majores Ordines ita vocentur, & Sacri dicantur? R. Id dictum esse pag. 72. num. 1, & 2.

2. *Quot sunt Majores Ordines?* R. Tres: Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, ad

quem pertinet etiam Episcopatus, tanquam complementum ejus perfectivum.

3. *Materia Ordinum Majorum à quo debeant necessariò tradi ordinando?* R. Quamvis in collatione Minorum dixerimus, posse tradi eorum materias ab Archidiacono, tamen in majoribus, juxta communem sensum & praxim, sub pœna nullitatis debent tradi ab ipso ordinante.

4. *An majores Ordines validè conferantur per saltum?* R. Validè, præter Presbyteratum, quoad potestatem absolvendi sine potestate consecrandi, & præter Episcopatum sine Sacerdotio.

5. *An ad hos Ordines suscipiendos requiratur etiam certa ætas?* R. Requiri, sed non ad valorem; qualis autem requiratur, determinabimus, dum de singulis agemus.

6. *An sit de fide, omnes majores Ordines esse Sacramenta?* R. De solo Sacerdotio & Episcopatu, quatenus Sacerdotium involvit, esse de fide, quòd sit Sacramentum, sic enim salvatur fides docens, Ordinem esse Sacramentum.

Prærequisita.

7. *An dimissoria data generaliter ad* omnes Ordines etiam majores, *comprehendere censeri debeant etiam Presbyteratum?* R. Affirmativè; quia qui dicit: *Omne*, nihil ex-

ci-

cipit, expressúmque dicitur, tum quod sub expresso continetur, *apud Barbos. axiom. 89. num. 5.* tum quod ex natura verborum inducitur. Nec obest, quòd dimissoriæ judicentur esse strictæ interpretationis, quia ad interpretationem strictam verba non debent impropriari, nec contra suam naturam restringi.

8. *Ordinandus in sacris, à quo debet habere testimonium de vita & moribus?* ℞. Ex *Trid. sess. 23. c. 5. de reform.* à Parocho, vel ab alio, ab Episcopo destinato. Huc spectat testimonium, quòd exercuerit Minores Ordines.

Tempora Ordinum.

9. *Quibus temporibus hi Ordines licitè conferri possint?* ℞. Sex tempora per annum esse statuta ab Ecclesia; videlicet, mane Sabbathis quatuor temporum, Sabbathô ante Dominicam Passionis, & Sabbathô sanctô, nisi aliud sit à Sede Apostolica specialiter indultum. Excipitur Episcopatus, qui conferri solet die Dominico, vel Apostolorum, vel de speciali Papæ indulto die festô, idque licèt priori Sabbatho sit collatus Presbyteratus.

10. *Estne grave peccatum extra hac tempora Ordines conferre, & suscipere?* ℞. Omninò, si non adsit Pontificia dispensatio.

11. *An ergo nunquam licet aliis temporibus, præter dicta, sacros Ordines conferre sine dispensatione?* R. Quando Episcopus nequit Sabbathô quatuor Temporum absolvere totam ordinationem, potest partem differre in Dominicum diem, continuatô tamen Sabbathinô jejuniô. *Capit. Litteras, de Temp. ordinati.*

12. *Cur autem non posset totam ordinationem facere illo die Dominico?* Resp. Si nequit inchoare præcedenti Sabbathô, vel ob infirmitatem, vel ob aliud impedimentum, potest totam differre ad diem Dominicum. Ita plures *apud Gob. tract. 8. num. 467.* dummodo continuet jejunium Sabbathinum.

13. *Possétne autem Episcopus, factâ dicto modo dilatione ordinationis quoad partem ad diem Dominicum, conferre illi, v. g. Presbyteratum die Dominico, cui contulisset Diaconatum die Sabbathi?* R. Non posse, quia tunc dies Dominicus reputatur pro uno die cum Sabbatho propter jejunium continuatum, adeóque hoc ipso conferret uno die duos sacros Ordines.

14. *Qualis jejunii continuatio intelligitur in dicto casu?* Resp. Meo judicio, spectando jura, *Capitul. Litteras, de temp. ordin. cap. 1. dist. 67. & Capit. Quod a Patribus, dist. 75.* intelligi jejunium naturale, ita, ut, quemadmodum Abbas sentit *in Capit. ad*

Lit-

Literas, Episcopus in Sabbatho nec ablutionem deberet sumere, quia aliàs non video, quomodo requireretur continuatio jejunii Ecclesiastici, die Dominicô; nisi diceres, quòd Episcopus die Dominico deberet servare jejunium etiam post peractam ordinationem, quod non videtur Ecclesia exigere; dicere autem, quòd exigatur observatio jejunii Ecclesiastici Sabbathini, etiam non est rationabile, cùm aliunde sit obligatio gravis, quoad illum diem in temporibus ordinationum. Cæterùm malo sentire, quòd in praxi illi Canones quoad hoc punctum non observentur aliter, quàm quòd, ut ait *Gobat tract. 8. num. 356.* servetur jejunium tale, quale solet aliis diebus Quadragesimæ.

15. *Quis potest dispensare in temporibus ordinationum?* ℟. Solus Pontifex, & quibus ille concedit.

16. *An non possunt dispensare, etiam Nuntii Apostolici?* ℟. Communiter illis dari facultatem ad dispensandum cum iis, qui sunt arctati beneficio, hoc est, qui urgentur ad sacros Ordines suscipiendos occasione beneficii vel accepti, vel accipiendi.

17. *Quæ causa debet esse ad dispensandum extra tempora?* ℟. Requiritur urgens causa, uti dictum est Legatis dari facultatem pro arctatis beneficio.

18. *An in temporibus Ordinationum possint*

sint eodem die suscipi duo sacri Ordines? ℟. Nullâ ratione, ex *Capit. Literas, Capit. Dilectus, de temp. ord.* & *Trident. sess. 23. c. 13.* cassat quoad hoc omnia privilegia in contrarium concessa.

19. *An Religiosi habentes privilegium Ordines accipiendi, etiam majores extra tempora, etiam tribus diebus festivis, possint ordinari diebus festivis solùm chori, non autem fori?* ℟. Si in privilegio concedente ordinationem fieri *diebus festivis*, non est inserta clausula *de præcepto*, posse Ordines quoscunque conferri in festis saltem duplicibus solius chori, probabile censent *Barbosa de officio & potestate Episcopi, part. 2. alleg. 17. num. 7. Rodriquez tom. 3. quæst. Reg. quæst. 23. art. 5. fin. Fagund. de præcept. Eccl. lib. 1. c. 2. num. 12. Corona de dignitate & potestate Episcopi, tract. 2. c. 15. §. 9. num. 17. Pyrrhing. lib. 1. tit. 11. sect. 1. §. 9. num. 81. Engel. l. 1. tit. 6. §. 7. num. 18. Ascanius Tamb. de Jure Abb. vol. 2. disp. 2. quæst. 13. num. 7. Gobat in ultima Editione Monachii 1681. Oper. moral. tom. 1. part. 2. tract. 8. casu 12. à num. 472. usque ad 477. inclusivè, & num. 485. Palaus tract. 27. punct. 17. num. 13. fin. Escobar. Theol. morol. lib. 23. probl. 108. num. 423.* Ubi testatur, homines Societatis JESU, gaudentes dictô privilegiô, fuisse à non paucis accuratissimis Episcopis ordinatos festis duplicibus in solo choro,

10. Et (teste Gobat) Alumnis Pontificiis eadem gratia solet præstari Augustæ Vindelicorum. *Dian. part. 5. tract. 13. resol. 97.* hanc sententiam tutam in praxi appellat, & concludit sic: *Unde nescio, quare quidam Episcopi Theologus, cum ipso olim de hac opinione in praxi servanda nimiùm scrupulis agitaretur; est enim opinio hac satis probabilis, & ideo me consulente, ne timeant Episcopi illam in praxim deducere.* Hæc totidem verbis Diana. Fundamentum horum Authorum est, quia in jure, etiam dies illi, qui in solo choro sub duplici celebrantur, simpliciter dies festi appellantur. *Ex Clement. de Reliq. & Vener. SS.* Addi potest: Privilegia in gratiam Religionis, aut piæ causæ concessa hôc ipsô favorabilia, proindéque amplè interpretanda esse, ex communi principio: *Summa ratio est, qua pro Religione facit L. Sunt Persona, ff. de Relig. & sumpt. fun.*

Interstitia.

20. *Quæ interstitia requiruntur ad suscipiendos sacros Ordines?* ℟. *In Trid. sess. 23. c. 11. 13. 14.* integrum annum Ecclesiasticum exigi à tempore, quo Ordo est susceptus, ad idem tempus sequentis anni, qui aliquando longior est, aliquando brevior, prout idem tempus ordinationum vel tardiùs, vel citiùs redit.

21. *Quis potest dispensare in interstitiis?* ℟. Posse Episcopum quoad suos subditos, causâ subsistente, non tamen ad duos (uti dictum est) sacros Ordines eodem die suscipiendos.

22. *Possúntne Regulares Prælati in hoc cum suis dispensare?* ℟. Posse cum iis, quos ipsi ordinare possunt, non autem quoad Ordines, quos conferre suis nequeunt. Ex Trid. revocante quoad hoc omnia privilegia; quamvis si Prælati testificentur subsistere dispensandi causam, & dispensationem ab Episcopo petant, tenetur Episcopus absque alia inquisitione concedere.

23. *Quæ sunt causæ justæ dispensandi in interstitiis?* ℟. Eas explicari *in Trid. sess.23. c. 11. de reform.* Pro Subdiaconatu, *Nisi aliud utilitas vel necessitas Ecclesiæ exposcat.* Pro Diaconatu, *cap. 13. Nisi aliud Episcopo videatur.* Pro Sacerdotio, *c.17. Nisi ad Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem.*

24. *Qualis debet esse hæc utilitas, ac necessitas?* ℟. Relinquitur prudentiæ Episcopi judicanda, nihilominùs (ait Gobat) videtur generali consuetudine Germaniæ plurimùm derogatum his decretis, ita ut non putem, quenquam rejici, seu retardari, eâ solâ de causâ, quòd non servet interstitia.

25. *An Episcopus possit dispensare cum suo familiari in interstitiis, sicut potest eum ordinare?* ℟. Probabiliùs mihi videri, quòd pos-

possit; cùm enim competat illi ordinatio, quæ est principalis, cur non competeret etiam hæc dispensatio ordinationi valde accessoria. Et ita decisum esse refert à Sacra Congreg. *Tamb. l. 8. de ord. c. 11. §. 2. nu. 11.* Quamvis num. priori referat etiam contrarium decisum.

Titulus mensæ.

26. *An ad sacros Ordines suscipiendos requiratur aliquis titulus?* ℟. Requiri, & ad hos solos, ex *Trid. sess. 21. c. 2. de reform.* quia indecens est, Clericos mendicare, aut turpem quæstum exercere.

27. *Quotuplex est hic titulus?* ℟. Triplex. Paupertatis pro Regularibus validè professis, post Constitutionem Pii V. & aliorum, Beneficii, & Patrimonii.

28. *Qualis debet esse titulus beneficii?* ℟. Debet esse Beneficii perpetui certos habentis redditus, ad honestam sustentationem sufficientes, judicio prudentum, habitâ ratione loci, caritatis, vel abundantiæ illius, & pacificè possessi, aliàs non est sufficiens titulus, exceptâ Capellaniâ temporali in Capella Papæ ex privilegio.

29. *Qualis debet esse titulus Patrimonii, vel Pensionis?* Resp. Debere esse sufficientis ad sustentationem. Ad quem tamen ordinari non possit, nisi ob necessitatem, vel commo-

moditatem Ecclesiæ Episcopus judicaverit ordinandum. *Trid. sess. 21. cap. 2.* Quæ tamen in doctis & bonæ vitæ regulariter adest. Debet autem patrimonium pacificè & verè, saltem quoad partem sufficientem possideri quoad dominium utile.

30. *Tale beneficium, patrimonium, aut pensio possúntne alienari?* ℞. Nec alienari, nec extingui, nec remitti, nec resignari posse, sine Episcopi licentia, hancque non dandam, nisi constet posse Clericum aliunde decenter & perpetuò sustentari. *Vide Trid. dicta sess. 21. c. 2.*

31. *An in congrua sustentatione definienda, sit habenda ratio personarum, ut eò exigatur major, quò persona dignior?* ℞. Negativè; quia ut titulus sit sufficiens, satis est, si Clericus ex eo possit honestè vivere, ut Clericus, ita ut non cogatur mendicare, aut turpem quæstum exercere. *Ex Trid.* Et ita est praxis, dum idem pro omnibus patrimonium constituitur.

32. *An sufficiat, congruam sustentationem compleri partim ex beneficio tenui, aut pluribus tenuioribus, partim ex patrimonio, partim ex pensione?* ℞. Sufficere; quia habetur finis Concilii, ut respondit Sacra Congregatio. Non tamen sufficeret, si simul cum eleemosynis Missarum, stipendiis, &c. compleretur sustentatio, uti eadem Congregatio declaravit.

33. *An*

33. *An sufficit titulus Coadjutoriæ cum spe futuræ successionis, & assignatione congruæ & perpetuæ sustentationis?* ℟. Sufficere, quia tali non deest congrua sustentatio. Aliud est, si Coadjutoria esset temporalis cum assignatione sustentationis temporali.

34. *An nominatus, præsentatus, electus, postulatus ad beneficium, possit ad illius titulum promoveri?* ℟. Contra aliquos negativè; quia Tridentinum requirit pacificam possessionem. *Ita sacra Congregatio.*

35. *An qui obtinet beneficium, sed illius fructus lucrari non potest, nisi post Sacerdotium, possit ordinari?* ℟. Posse, si interim habeat, unde vivat; quia imposterum est titulus permanens. *Ita Sacra Congregatio.*

36. *An sit sufficiens titulus Seminarii, præbentis honestam sustentationem?* ℟. Esse, si est perpetuus, saltem durans, donec Ordinandus sit aliunde provisus. Secus, si non sit permanens talis provisio.

37. *An sufficiat titulus servitii, sive deputationis alicui Ecclesiæ, cui Ordinandus inservire teneatur; cùm ex stipendio Missarum, Officiorum, & aliis eleemosynis decenter vivere possit?* Resp. Negativè contra nonnullos; quia talis adscriptio non est de se perpetua, nec fructus certos & perpetuos habet.

38. *An sufficiat titulus Literaturæ, & si Ordinandus sit Doctor Theologiæ, vel Canonum,*

num, vel Scripturæ? Resp. Probabiliter sufficere in viro insigni doctrinâ, quia deesse illi non potest, unde decenter vivat; contrarium tamen verius & tutius in praxi est, quia is de facto non obtinet, unde decenter vivere possit.

39. *An sufficiat patrimonium in censu redimibili?* ℞. Veriùs sufficere, quia annui census inter immobilia computantur; nec obest, quòd redimi possit, quia pretium potest & debebit investiri ad alium censum.

40. *An sit legitimus titulus in bonis mobilibus consistens?* ℞. Negativè, quia fructus permanentes reddere non possunt, nisi (juxta Azor.) sit pecunia parata ad census, vel immobilia bona emenda.

41. *An filius patris divitis ordinari possit ad titulum patrimonii, nullâ factâ assignatione à patre?* Resp. Teneri patrem juxta receptam consuetudinem, certa bona fructifera assignare, donare & tradere; quia aliud est jus habere ad patrimonium, aliud de facto illud obtinere, utì requirit Trident. Speculativè contraria etiam sententia est probabilis, quia in tali non est periculum mendicationis, aut turpis quæstûs.

42. *Qualiter donatio patrimonii, vel promissio facta à divite, de præstandis ordinando alimentis, sit legitimus titulus?* Resp. Veram & sinceram donationem fundi, aut juris exigendi congrua & certa alimenta, suffi-

sufficientem esse; quia tunc acquiritur dominium. Debet autem donator se & suos successores obligare legitimè ad non alienandum illum fundum.

43. *An autem sufficiat donatio juris exigendi certa & honesta alimenta, fundati in omnibus bonis fructiferis donantis, nullâ factâ assignatione in particulari?* R/. Probabiliter sufficere; quia est major certitudo alimentorum, fundatorum in omnibus bonis, quàm in determinatis.

44. *An etiam sufficiat sola promissio alendi ordinatum, publicô instrumentô in forma, valida firmata, cum obligatione omnium bonorum, & non alendi tot, quin remaneat debita Clerici sustentatio?* R/. Id quidem passim non sufficere; quia talis promissio non dat jus in re, sed tantùm in rem. Probabiliter tamen posse Episcopum ex justa causa, v. g. ob penuriam Sacerdotum, contentum esse tali promissione; quia cum ea ordinatus tantam habet certitudinem suæ sustentationis, quantam, si haberet censùs & pensiones in aliorum bonis.

45. *An sufficiat Patrimonium ab alio donatum sub conditione, ut cesset statim, ac ordinando de sustentatione provisum erit?* R/. Sufficere; quia Patrimonium etiam absolutè datum renunciari potest de licentia Episcopi, si aliunde habeatur congrua sustentatio; admittendo autem talem condi-

 tio-

tionem Episcopus, dat hôc ipsô licentiam. Ergo.

46. *An Patrimonia ab alio donata rejici possint?* ℟. Quamvis rejici non posse declaraverit sacra Congregatio, quia tamen sæpè sunt inania; cùm enim donator speret fore, quòd ordinatus non petet alimenta, ideoque ordinatus ne offendat, nihil audet exigere, unde sæpè ad miserum statum devolvi eum est necesse; ideo etsi talia patrimonia, dum omni suspicione carent, rejicienda non sint, judicat tamen Tiberius, non semper acceptanda esse.

47. *An ordinatus ad Diaconatum sine titulo, possit ulteriùs promoveri?* ℟. Non posse; quia Jura in omni sacro Ordine id distributivè prohibent. Ita sacra Congr.

48. *An alienatio beneficii, pensionis, patrimonii, post ordinationem sine Episcopi licentia, valida sit?* Resp. Resignationem vel permutationem beneficii esse nullam, nisi tria concurrant. Primò, Episcopi licentia. Secundò, mentio, quòd ad illius titulum sit ordinatus. Tertiò, aliunde certa & decens sustentatio. *Ex Trid. sess. 21. c. 2. de reformat.* Pariter renunciationem patrimonii, vel pensionis nullam esse, si ordinatus non habeat aliunde congruam sustentationem, ex *Trident.* quamvis probabile sit, eam tantùm prohiberi, & non irritari. Si verò aliunde habeatur sustentatio, valebit alie-

alienatio, quia solùm irritatur in defectu sustentationis.

49. *Quid dicendum de iis, qui datâ fide reddendi patrimonium donatum, ordinantur, vel illud, postquam Subdiaconi facti sunt, renunciant?* ℞. Taliter ordinatos, si aliunde non habeant decentem sustentationem, esse sine patrimonio ordinatos, quia est donatio ficta. Contrarium tamen etiam probabile est, quia videtur vera donatio transferens sub modô vel pactô dominium in donatarium, & modus hic non obligat, utpote contra Legem Tridentini citat. alienationem prohibentis. *Vide Tiberium.*

Ordinum Iteratio.

50. *Unde solet oriri opinio, aut dubium de validitate Ordinis?* ℞. Generatim oritur vel ratione Baptismi, vel ratione formæ, materiæ, aut ministri Ordinis.

51. *An ergo tenetur quis petere semper reiterari Ordines susceptos, quoties tenetur petere rebaptizationem ratione certitudinis, probabilitatis, aut dubii de nullitate Baptismi?* Resp. Teneri petere iterationem Presbyteratûs, & Episcopatûs, vel absolutè, vel conditionatè, prout Baptismus vel absolutè, vel conditionatè est iteratus, si tamen velit in iis ministrare; quia

ſicut Baptiſmus iteratur ob periculum animæ, ita ex nullitate horum Ordinum, quæ ſequitur ex nullitate Baptiſmi, multis animabus periculum imminet, ac proinde iterandi ſunt.

52. *Sed cur addis: Si velit miniſtrare?* ℞. Ideo, quia ſi Baptiſmus iteratur ob certitudinem de nullitate illius, talem non fuiſſe legitimè ordinatum certum eſt; qui autem ordinatus non eſt, nullâ lege aut ratione obligatur ad Ordines.

53. *An ergo omnis Ordo repetendus eſt, quem conſtat invalidè eſſe collatum?* ℞. Si velis in iis miniſtrare, repetendos eſſe, quia par eſt ratio, miniſtrare cum Ordine invalidè collato, ac miniſtrare ſine Ordine, quod licitum non eſt.

54. *An repetendi ſint Ordines, quando non quidem certum, ſed probabile eſt, illos invalidè ſuſceptos eſſe?* ℞. Presbyteratum & Epiſcopatum repetendos eſſe, ſi velis in iis miniſtrare, quia in adminiſtratione Sacramentorum tutiorem partem ſequi oportet, eò, quòd vel juſtitia ex tacito pacto orta, vel ſaltem charitas id exigat. Probabile tamen eſt, teneri reiterare illos Ordines, etiam illum, qui nollet in illis miniſtrare, tum ad evitandum ſcandalum, tum ne character illorum Ordinum, ſi fortè eum recepiſſet, inutilis maneret.

55. *An non etiam reliquos Ordines proba-*

babiliter invalidè susceptos iterare deberet? ℞. Probabile esse, quòd non teneatur iterare; tum quia, si est Presbyter, habet in hoc Ordine eminenter reliquos, tum quia functiones illorum Ordinum nemini sunt noxiæ; etiam suppositâ invaliditate Ordinum illorum. Optimè tamen fit, si in actuali ordinatione animadversus error substantialis statim corrigatur.

56. *An quando dubitatur de valore Ordinum susceptorum, sint iterandi?* ℞. Si dubium sit rationabile de essentialibus, Presbyteratum & Episcopatum debere iterari, si velis in iis ministrare. Est eadem ratio à fortiori, quæ de probabiliter invalido. De aliis Ordinibus, quamvis fortè idem dici posset, quod de probabiliter invalidis, tamen Sanchez *lib. 7. Cons Moral. c. 1. dub. 13.* generatim docet, Ordines collatos cum dubia materia esse iterandos.

57. *An sit iterandus Ordo Presbyteratûs, dum Episcopô in plurali successivè sæpiùs proferente formam plures ordinandi singuli successivè accesserunt ad tangendam materiam?* ℞. Non esse necessariò iterandum, quia communiter docetur, tunc iterandum non esse. Posse tamen sub conditione iterari, quia Cajetanus & Navarrus docent, iterandum esse.

58. *An sit iterandus Presbyteratus, quando tangitur materia post formam plenè iam*

prolatam ab Episcopo? ℞. De hoc casu idem dicendum prorsùs, quod de priori; quia vix differunt.

59. *An repetenda Ordinatio Presbyteri, qui physicè calicem non tetigit, vel pro cujus ordinatione adhibitus est calix sine vino?* ℞. Repetendam esse, quia disputatur valor utriusque.

60. *An etiam repetenda, dum ordinatus non attigit hostiam patenæ impositam, vel qui non jejunus, aut à non jejuno fuit creatus Presbyter?* ℞. Nullô modô repetendam, quia non est rationabile dubium de valore.

61. *An repetendus Presbyteratus collatus ab Episcopo, qui habebatur Catholicus, & postea deprehensus est fuisse hæreticus?* ℞. Repetendum sub conditione, quia meritò dubitari potuit, tum de Episcopatu in illo, tum de prolatione veræ formæ, tum de intentione debita.

Pœnæ malæ Ordinationis in Sacris.

62. *Quando, & quales pœnæ incurruntur à malè Ordinantibus, vel Ordinatis in Sacris?* ℞. Præter ea, quæ minoribus Ordinibus communia relata sunt pag. 76. à n. 19. Qui sciens ordinatur in Sacris ab Episcopo, qui Episcopatui & usui hujus Ordinis renunciavit, acceptatâ à summo Pontifice renunciatione, suspenditur ab Ordine suscepto. Et hæc suspensio reservatur Pontifici, *cap. 2. de ordinatis ab Episcopo.*

63. *Quando adhuc?* ℞. Qui Ordines sacros cum culpa ante legitimam ætatem suscipit, ipso jure suspenditur à Pio II. tum ab Ordine suscepto, tum ab aliis Ordinibus antè susceptis.

64. *Potéstne autem bonâ fide ante legitimam ætatem ad Sacerdotium promotus, errore postea cognito licitè celebrare, postquàm legitimam ætatem attigerit, absque eo, quòd irregularitatem incurrat?* ℞. Posse, quia cùm bona fide sic susceperit, in susceptione non incurrit suspensionem; ac proinde, exercendo Ordinem sic susceptum, non violat censuram, consequenter irregularitatem metuere non potest.

65. *At nunquid taliter bonâ fide promotus, poterit postea cognito errore licitè celebrare etiam ante completam ætatem legitimam?* ℞. Negativè; quia Trid. dum prohibuit susceptionem Ordinum ante legitimam ætatem, prohibuit etiam eorum usum.

66. *Quando adhuc incurritur pœna?* ℞. Qui cum culpa ordinatur in Sacris extra tempora à jure statuta sine dispensatione, suspenditur à Pio II.

67. *Quando adhuc?* Resp. Tum is, qui eodem die duos sacros Ordines suscipit: tum is, qui eos sic confert, suspenditur. *Capit. Litteras, de Temp. Ord.* Et suspensio reservatur Pontifici. Idem est ex textu, si Diaconatus Sabbathô Quatuor Temporum, & Presbyteratus Dominica immediatè sequenti con-

continuatô jejuniô conferatur, quia fictione juris censetur idem & unus dies.

68. *Quando ulterius?* R. Qui durante matrimonio etiam rato, suscipere præsumpsit Ordines sacros, suspenditur ab Ordine sic suscepto, etiam post dissolutum matrimonium; nec potest ad alios Ordines ascendere, nec admitti ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum. *Extravag. Joan. XXII. de voto.* Et hæc suspensio reservatur Papæ, nisi sic ordinatus in Religionem per Professionem ingrediatur; tunc enim poterit Episcopus dispensare.

69. *An & is suspensionem incurrat, qui cùm sit in Sacris, matrimonium contrahit?* Resp. Negativè, sed subjacet pœnæ depositionis, & degradationis, & aliis septem pœnis apud *Bann. de Ord. quæst. 15. dub. 6.* enumeratis.

70. *Quando adhuc incurritur pœna?* R. Novitius, vel nulliter professus, qui ordinatur ad titulum paupertatis, suspenditur, & si exerceat Ordinem susceptum, fit irregularis. *Ex Bulla Pii V.*

71. *Quando adhuc?* R. Qui ordinatur in Sacris sine titulo; vel patrimonii, vel beneficii, vel paupertatis, idque cum pacto cum ordinante, de non petendo alimento ab ipso, suspenditur.

72. *Quando adhuc?* R. Qui ordinatur in Sacris cum dimissoriis habitis à Capitulo in-

intra primum annum Sedis vacantis, nisi ratione beneficii sit arctatus ad Ordines suscipiendos, suspenditur ad beneplacitum Prælati futuri. *Trident. sess. 7. cap. 10. de reform.*

73. *Quando adhuc?* ℟. Religiosus suscipiens Sacrum Ordinem in apostasia, ab eo suspenditur, & reservatur Papæ, *Capit. ult. de Apostatis.*

Obligationes majorum Ordinum.

74. *Súntne majoribus Ordinibus annexæ aliquæ obligationes?* ℟. Esse tres principales: Primò, servandi castitatem. Secundò, recitandi Horas Canonicas. Tertiò, deferendi habitum & tonsuram.

75. *Estne gravis obligatio deferendi habitum & tonsuram?* ℟. In Sacris est gravis, quia sub gravibus pœnis præcipitur à Sacris Canonibus. Sunt tamen causæ excusantes ab hac obligatione, quarum mentio facta est pag. 37. n. 52.

Ad castitatem.

76. *Qualis est obligatio in Sacris constituti ad castitatem servandam?* Resp. Est talis, ut teneatur non tantùm à Venereis illicitis abstinere Jure Divinô, sed etiam Jure Ecclesiastico à licitis, uti à matrimonio, &

ejus usu, si priùs contractum est, & contrahendum reddatur nullum in Ecclesia Latina.

77. *Cur per Sacros Ordines non dissolvitur matrimonium ratum, & non consummatum, sicut dissolvitur per professionem Religiosam?* ℟. Quia professio Religiosa est quædam mors civilis, qua de causa Professus renunciat bona temporalia. Ordinatio autem in Sacris non censetur talis.

78. *An suscipientes Sacrum Ordinem emittant votum castitatis?* ℟. Quòd emittant, indubitatum esse, & quidem solenne votum.

79. *In quo consistit hæc solennitas?* ℟. Omnium optimè per hoc explicari, quòd ita liget, ut obligatio tollibilis non sit, nisi per dispensationem Pontificis. Effectum verò specialem hunc habet, quòd reddat irritum matrimonium contrahendum.

80. *Quomodo intelligendum est, quòd Innocent. III. & Urbanus VIII. dicant, Subdiaconatum olim non fuisse Sacrum Ordinem?* Resp. Cum Tiberio, vel quia in eo facilè dispensabatur, ut possint uxorem ducere, vel quia nondum habuit annexum votum castitatis.

81. *Unde oritur hæc obligatio emittendi votum castitatis?* ℟. Ex Constitutione Ecclesiæ, volentis, ordinandos in Sacris hanc promissionem facere.

82. De-

82. *Debétne hoc votum explicitè emitti?* ℟. Sufficere implicitè, nempe hôc ipsô, quòd quis velit sacrum Ordinem suscipere, implicitè vult etiam omnes obligationes subire annexas ipsi Ordini, qualis est obligatio ad hoc votum, & ad Horas recitandas.

83. *Oritúrne autem in ordinando obligatio perpetuæ continentiæ ex Constitutione Ecclesiæ, vel verò ex voto?* Resp. Probabiliùs esse, quòd immediatè oriatur ex voto; siquidem Sacerdos solô etiam internô peccatô incontinentiæ sacrilegè peccat; Ecclesia autem actus purè internos præcipere non potest.

84. *An non saltem mediatè ex Constitutione Ecclesiæ oriatur?* Resp. Affirmativè, quatenus Ecclesia Sacro Ordini annexuit hoc votum; ita, ut velit talis Ordinis susceptores hoc ipso saltem implicitè hoc votum emittere; quod Ecclesiæ statutum, emisso voto, cessat obligare, non emisso verò obligat ad emittendum, & interim ad continendum.

85. *Quotuplex peccatum committit ordinatus in Sacris, si fornicetur?* ℟. Duplex quoad malitiam specificam, videlicet: Fornicationem contra castitatem, & sacrilegium contra religionem ratione voti.

86 *Oritúrne impedimentum dirimens matrimonium contrahendum etiam ex voto immediatè?* Resp. Negativè, ut patet ex

Trid. sess. 24. Can. 9. Sed oritur immediatè ex Constitutione dicta Ecclesiæ hanc solennitatem illi adnectente; neque votum ex se, quatenus est promissio DEO facta, irritare potest matrimonium, ut patet ex voto simplici castitatis, quod etiam est promissio.

87. *An qui invalidè ordinatur, obligetur ad castitatem?* ℞. Negativè; quia nec votum emisit, nec lex obligat, nisi verè ordinatum.

88. *An infans, quamvis illicitè, validè tamen ordinatus in Sacris, factus adultus, obligetur voto castitatis?* Resp. Taliter ordinato, facto adulto relinqui optionem ab Ecclesia, vel eligendi Statum Clericalem, servatâ castitate, quod censetur facere statim, ac scienter ordinationem factam approbat, aut Sacri Ordinis actum exercet, ita ut non possit amplius retrocedere; vel eligendi statum laicalem, & uxorem ducendi; quia ad cœlibatum nec tenetur ex voto, cùm, qui non potest explicitè vovere, nec implicitè voveat; nec obligatur ex lege Ecclesiæ, quæ neminem obligat independenter à sua voluntate, sicut nec DEUS obligat.

89. *An idem sentiendum de puero impubere, quod de infante?* Resp. Juxta *Sanchez lib. 7. disp. 30. à num. 8.* probabiliter quidem dici posse, quòd impubes non teneatur

tur ad castitatem ex voto solenni, nisi post pubertatem Ordinationem ratificet; sicuti nec tenetur ad Professionem religiosam; probabiliùs tamen mihi videtur cum aliis, doli capaces teneri ad castitatem; est enim hujus dispar ratio, quàm Professionis religiosæ longè majores difficultates secum trahentis, ac proinde non ligantis ante annos pubertatis.

90. *Quid dicendum de iis, qui invincibiliter ignorant, Ordini sacro annexum esse votum castitatis?* ℟. Cum Tiberio, si habeant ignorantiam positivam, ut, si videant passim conjugatos ordinari, utì fit apud Græcos, non videntur obligari; secùs si habeant ignorantiam negativam; quia illi vix possunt censeri habere etiam promissionem implicitam, propter opinionem contrariam, sicut possunt isti.

91. *Quid de ordinatis per metum cadentem in constantem virum, injustè incussum, ad illos compellendos ut ordinentur?* ℟. Ad continentiam non teneri, tum quia fortè ordinationi non consenserunt, tum quia licèt ordinationi consenserunt, ejus tamen obligationem non contrahunt, quia ex Ecclesiæ Constitutione talis metus injustè incussus, impedit voti obligationem; secùs, si metus sit justè incussus, vel levis, vel aliunde conceptus.

92. *An per dictum metum ordinatus in*

Sacris, quamvis voto castitatis non obligetur, contrahat nihilominùs impedimentum dirimens matrimonium subsequens? Resp. Cum Tamburino, probabiliùs contrahere, quia eo casu adhuc Ordo sacer validè suscipitur; cùm igitur Ecclesia illi annexuerit dictum impedimentum, contrahetur & illud. Dispensari tamen poterit à summo Pontifice; quia idem metus dat justam causam dispensandi.

93. *At nunquid ex metu injusto solemniter professus, probato metu, validè contrahet matrimonium; Cur ergo idem non dicetur de ordinato in Sacris ex simili metu incusso?* ℞. Diversitatem hanc esse claram, quia taliter ordinatus verum Ordinem suscipit, contrahítque proinde id, quod Ordini est annexum; at verò taliter professus non est professus, idcóque nec obligationem veræ professioni annexam contrahere potest.

94. *Nunquid autem infans ordinatus in Sacris, validè, quamvis illicitè ordinatus est, & tamen non ligatur impedimento contrahendi matrimonii; Cur ergo deberet illo ligari ordinatus per metum?* Resp. Infantibus, eò quòd nec ipsum Ordinem voluntariè susceperint, meritò speciale privilegium concessit Ecclesia, ut in ipsorum sit arbitrio, adveniente usu rationis, an velint Ordini stare, & consequenter deinceps obligati esse voto castitatis, vel certè nolint Ordini stare,

sed

ſed ducere uxorem, qualem declarationem non fecit Ecclesia quoad ordinatos ex metu, de poteſtate contrahendi matrimonium, ſed tantùm de nullitate voti caſtitatis tali Ordini annexi.

95. *Eſtne tamen probabile, ordinatum in Sacris per dictum metum, poſſe contrahere matrimonium?* Reſp. Id habere omninò probabilitatem; quia probabile eſt, Eccleſiam conjunxiſſe impedimentum matrimonii Ordini ſacro ſuſcepto, modo ordinario & conſueto, id eſt, cum annexione voti caſtitatis, aut ſaltem obligationis emittendi votum caſtitatis.

96. *Quid ſi aliquis velit ordinari, ſed poſitivè nolit emittere votum caſtitatis?* Reſp. Talem non obligandum quidem voto, ſed obligatum manere ad emittendum illud, & tamdiu peccaturum, donec emittat, non quidem obligabitur, quia voto nemo nolens obligari poteſt.

97. *An talis adhuc validè contraheret matrimonium?* ℞. Nullâ ratione, quia valor matrimonii non pendet ab ipſius voluntate, ſed à conſtitutione Eccleſiæ, quæ impedimentum illud annexuit Ordini validè & liberè ſuſcepto.

Horæ Canonicæ.

98. *Quæ eſt obligatio conſtitutorum in Sacris* ad

ad Horas Canonicas recitandas? ℟. Quamvis in Jure ſoli Presbyteri, & quidem Parochi expreſsè videantur obligari, *ex Capit. 1. de Celebr. Miſſæ*; Certum tamen eſt ex antiquiſsima Eccleſiæ conſuetudine, vim præcepti habente, teneri omnes voluntariè liberè in Sacris ordinatos, etiam depoſitos, & degradatos, ſub culpa mortali; ita, ut Subdiaconi teneantur incipere ab hora reſpondente tempori, in quo ſunt ordinati, licèt priùs eam recitârint, quia non recitârunt ut publici Miniſtri.

99. *An ordinatus in Sacris per metum cadentem in conſtantem virum injuſtè incuſſum, teneatur ad Horas Canonicas recitandas?* ℟. Non teneri, niſi metu poſito ratificet voluntatem, quam habuit de ſuſcipiendo Ordine ſacro.

100. *Quotuplex eſt ritus celebrandi Miſſam, aut Horas Canonicas?* ℟. Eſt triplex: Videlicet ſub ritu duplici, ſemiduplici, aut ſimplici.

101. *Unde ſic iſti ritus vocantur?* Reſp. Duplex principaliter dicitur ab Horis Canonicis, in quibus eo die duplicantur Antiphonæ Pſalmorum. Semiduplex, quia in pleriſque convenit cum duplici; diſcrepat tamen vel maximè in hoc, quòd Antiphonæ non duplicentur. Simplex verò ad diſtinctionem ab utroque, quia habet ritum notabiliter diverſum, maximè quòd in Matutino & Veſpe-

ris majori ex parte sequatur ritum ferialis Officii, quem Duplicia & Semiduplicia non servant.

102. *Qui dies celebrantur ritu duplici?* Resp. Illi, quibus in Calendario additum est: *Duplex*: & Dominicæ quædam, quæ ex speciali Rubrica sub ritu duplici celebrari jubentur.

103. *Qui dies celebrantur sub ritu semiduplici?* ℟. Pleræque Dominicæ & Festa Sanctorum, quibus additur: *Semiduplex.*

104. *Qui tandem sub simplici?* ℟. Feriæ & Festa Sanctorum, qui nec voce *Duplex*, nec *Semiduplex* notantur, inter quæ est etiam Beata MARIA in Sabbatho.

105. *Qualiter debent recitari Horæ Canonicæ?* ℟. *Innocent. III. in Capit. Dolentes de Celebr. Miss.* præcipit in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis obligatis, quantum eis DEUS dederit, recitare studiosè pariter & devotè.

106. *Quid sunt Horæ Canonicæ?* ℟. Eas preces sic vocari, quæ ex Sacrorum Canonum præscripto certis horis recitantur.

107. *Quot sunt Horæ Canonicæ?* Resp. Sunt septem: Nam Matutinum & Laudes unam horam constituunt, cùm sub uno principio & fine recitentur. Deinde sunt: Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium.

108. *An ergo non est licitum dividere Matu-*

tinum à Laudibus? ℞. Dum Officium privatim recitatur, licitum esse dividere, cùm & antiquitùs divisim recitaverint.

109. *Quid est studiosè recitare Horas Canonicas*? ℞. Ut verba non omittantur, syncopentur, truncentur, vel mutilentur, absorbendo syllabas; utque Officium recitetur sine interruptione, & similia.

110. *An ergo recitans syncopando, vel corrumpendo verba, vel antevertendo finem versiculorum, quos dicit socius, peccet contra integritatem*? ℞. Peccare saltem venialiter, & possent tot verba omitti, & corripi, ut esset mortale. Si autem corruptio oriatur ex defectu linguæ, habitu incorrigibili, vel justa festinatione, nec erit veniale.

111. *Quâ voce sunt Horæ privatim recitandæ*? ℞. Licèt de rigore, qui solus recitat, satisfacere videatur, si voces ita formet, ut dici posit vocaliter orare, quamvis à se, vel ab alio non audiatur, quia cum DEO loquitur, qui audire potest; tamen moraliter vox tanta esse deberet, ut remotô impedimentô orans seipsum audire possit; vix enim formari potest vox, quæ ab ipso loquente benè disposito audiri non posit.

112. *Quid si oret cum socio*? ℞. Debet illum audire, aliàs non satisfacit. Et si socius ita sit linguâ impeditâ, ut in magna parte Officii verba formare non possit, etiam non satisfacit.

113. *Qua-*

113. *Qualiter peccet, & teneatur repetere Officium interrumpens?* ℞. Si faciat absque causa, peccare tantùm venialiter sine obligatione repetendi, quia servatur substantia præcepti; cùm non solùm singuli Psalmi, sed verè singuli versus sint veræ orationes. Ex causa autem etiam levi fit sine culpa, & ex levissima licet Nocturnum à Nocturno sejungere per horam, vel tres horas, quia antiquitùs separabantur; separatio Matutini à Laudibus vacat omni culpa, ut suprà dictum est.

114. *Quale peccatum est, pervertere Horarum ordinem inter se, ut: dicere Vesperas ante Primam?* ℞. Si fiat sine causa remoto contemptu, esse ad summum veniale, quia est aliqua deordinatio; cum causa autem nec est veniale.

115. *An recitantes Officium teneantur integrè omnes Horas & Versus recitare?* Resp. Teneri, nisi cum socio alternatim recitent, qui necessarium non est, ut sit obligatus. Non possunt tamen, nisi bini chori esse recitantium.

116. *An sit peccatum mortale, ordinatis in Sacris, semel tantùm, vel iterum decursu anni, sine causa omittere integrum Officium, horam, vel notabilem ejus partem?* ℞. Cum communi, esse. Quia recitationis horarum obligatio cadit distributivè supra quemlibet diem.

117. *Quæ censetur pars notabilis, sufficiens ad peccatum mortale?* ℞. Parva hora; quia sive secundùm se consideretur, sive in ordine ad officium, tanta, & non minor materia gravis videtur ratione deformitatis judicio prudentum.

118. *Horæ Canonicæ unde vocantur Breviarium & Orarium?* ℞. Breviarium, quia sunt breve & admirabile compendium Sacræ Scripturæ, Orarium ab orando.

119. *Quare vocantur Horæ Nocturnæ & Diurnæ?* ℞. Quia olim Nocturni recitabantur de nocte, & quidem horis distinctis; reliqua de die.

120. *An peccet graviter, qui suscipit Subdiaconatum, si sit ignarus legendi Latinè, vel rectè recitandi Horas?* Resp. Cum communi affirmativè, nisi bonâ fide existimet se statim comprehensurum modum rectè orandi easdem Horas, vel securus sit de socio habendo, cum quo oret, donec orare addiscat.

121. *An omittens omnes, vel plures Horas, unum aut plura peccata committat?* ℞. Quoad actus internos, tot fieri peccata, quot erunt repetitæ voluntates cum morali interruptione, unam, vel plures Horas omittendi. Quoad actum verò externum committi unum tantùm peccatum; quia præceptum unicum est, indivisibiliter obligans ad totum, & omittens Horam, non ideo pec-

cat,

eat, quòd distinctum præceptum transgressus sit, sed quòd notabilem partem hujus totius omiserit.

122. *An ordinatus in Sacris omittendo Horas Canonicas, committat duplex peccatum quoad malitiam?* ℞. Committere duplex, si sit beneficiatus; unum contra legem Ecclesiasticam, alterum contra justitiam; unde tenetur restituere fructus perceptos beneficii illius diei, in quantum correspondent recitationi Horarum Canonicarum, demptis aliis muniis pariter beneficialibus.

123. *Quâ formâ est recitandum Officium Divinum?* ℞. *Ex Bulla Pii V. Breviario Romano præfixa, & à Clemente, ac Urbano VIII. confirmata*, debere ab omnibus recitari juxta formulam Breviarii Romani, exceptis Capitulis & Monasteriis, quæ à ducentis annis fuerunt usa aliô.

124. *An privatim recitans teneatur dicere Officium parvum Beatæ Virginis, Defunctorum, Psalmos pœnitentiales, & cæteras Appendices, quæ in Rubricis pro certis temporibus ordinantur?* ℞. Negativè, nisi quando specialiter præcipitur, ut in die Commemorationis defunctorum, eorum Officium, diebus Rogationum & Sancti Marci, Litaniæ omnium Sanctorum. Quia Pius V. in Bulla, quæ est ante Breviarium, recitantes Breviarium ab ipso reformatum, ab illis aliis deobligavit.

125.

125. *Quale Officium tenentur recitare ordinati ad titulum Patrimonii?* ℟. Quamvis probabile ſit, eos beneficio carentes poſſe juxta Calendarium Breviarii Romani etiam in loco domicilii ſui recitare, quia nulli Eccleſiæ ſunt addicti, & Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Mater eſt, tenentur deſervire: verius tamen videtur, quòd in ſua Patria teneantur ſe conformare ſuæ Eccleſiæ, quia ſunt ſubditi illius, & ejus legibus tenentur, ac talis eſt conſuetudo.

126. *Ad quale tenetur beneficiatus?* Reſp. Teneri ad Officium ſecundùm ritum beneficii loci, ubi reſidet, tum ut ſe conformet, tum ut ei Eccleſiæ ſerviat, de cujus Altari vivit. Si verò alibi habet domicilium, habet optionem.

127. *At quid, ſi in duobus locis habeat duplex Beneficium?* Reſp. Vel reſidet in altero, & debet illius ritum ſequi, vel in neutro, & debet recitare Officium illius Eccleſiæ, in qua majorem habet gradum; & ſi utrobique ſit æqualis, Officium Eccleſiæ dignioris; & ſi hæ ſint æquales, eligat, quod voluerit.

128. *An non poſſet talis orare partem Breviarii unius Beneficii, & alteram partem alterius Beneficii?* Reſpondet Bruno Neuſſer affirmativè, *apud Gobat tomo 1. tract. 5. num. 599.* Mihi tamen videretur id inconveniens.

129. *Quale Officium tenetur orare ordinatus in Sacris scholaris?* Resp. In loco studii, & extra locum originis, domicilii, beneficii habitans, potest eligere ritum loci, in quo degit, vel loci originis, domicilii, beneficii.

130. *Quid de Clerico peregrino?* ℟. Tiberius tenet, quòd teneatur sequi ritum suæ Ecclesiæ, originis, beneficii, domicilii; quia in actione hac, quæ privatim fit, non tenetur se conformare moribus eorum, per quos transit, vel inter quos ad breve tempus vivit. Tamburinus tamen docet, sæcularem Clericum licitè se posse accommodare ritui loci, per quem transit: quia peregrinus potest sequi leges loci, in quo existit.

131. *Quem ritum adhibere debet Capellanus Episcopi in Officio recitando cum eodem?* Resp. Ex decisione Sacr. Congreg. Rituum, debet se conformare Episcopo, cui inservit.

132. *An obligatus ad Breviarium Romanum, si careat illo, habeátque aliud, teneatur uti hoc alio?* Resp. Contra Busenbaum, probabiliùs non teneri; tum quia nemo tenetur uti privilegio; tum quia diversitas Breviariorum inducere potest in perturbationem; tum quia Pius V. in sua Bulla dicit, non satisfieri obligationi, non utendo formulâ à se præscriptâ. Idem probabiliter dici potest de Religioso carente Breviario sui Ordinis,

quòd

quòd non teneatur ad Romanum recitandum, fundamento desumpto ex *Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 23. num. 2.* ubi dicit: Unusquisque Clericus, qui ad Horas Canonicas privatim dicendas obligatus est, tenetur eas dicere (stando in jure communi) juxta Breviarium in sua Diœcesi vel Ordine approbatum & receptum; & alioqui suo muneri non satisfacit, *ex Capitul. de iis, & cap. placuit, dist. 12.* ubi quamvis sermo sit de Officio publico, & in choro, tamen argumentum sumit inde ad privatum, vel à paritate rationis, vel quia privata recitatio subrogatur publicæ in illis, qui choro non tenentur assistere, aut non intersunt; maximè cùm in Clement. II. de Celebr. Miss. indulgeatur Clericis & Religiosis commensalibus Cardinalium & Episcoporum, ut possint illis conformari in Officio; & Gloss. verbo *Indulgemus* notet, absque illo privilegio id non licuisse.

133. *An Clerici Religiosi conviventes in eorum domibus, uti in Seminariis fit, licitè recitent Officium de Sanctis illorum Religiosorum?* ℟. Cum Quintanad. affirmativè, nisi sit expressè limitatio ad Religiosos.

134. *An si die proprio alicujus Sancti non recitásti de eo Officium, possis licitè recitare alio die?* Resp. Probabile quidem esse ex Tamburino & Quintanadv. posse id fieri; contrarium tamen est probabilius; quia

quia nemo privatus habet potestatem transferendi Officium.

135. *Quid si per errorem heri recitâsti Officium de Sancto, cujus festum est hodie?* R. Teneri te iterum hodie de eo recitare; quia error tuus non dat tibi jus invertendi Rubricas, contrarium tamen est probabile.

136. *An qui pridie recitavit Matutinum, & Laudes sequentis diei, v. gr. feriales, resciens postea sequenti die celebrari aliquem Sanctum, debeat reliquas Horas dicere de Sancto, vel de feria?* R. Valde probabile esse, quòd debeat dicere de Sancto, quamvis non repetat Matutinum; probabile etiam est, posse continuare Officium feriale inchoatum.

137. *An & quantum peccatum sit, celebrare Missam ante recitationem Matutini?* R. Si fiat ex gravi causa, nullum esse peccatum; imò etiam ex causa levi, quia Matutinum nec est necessaria dispositio ad Missam, nec habet cum ea necessariam connexionem, nec majorem habere potest quàm una hora cum altera; nec est ullum præceptum obligans; & consuetudo introducta est solùm ratione congrui; Rubrica verò Missalis præceptiva non est, sed tantùm consultiva & directiva. Cæterùm si fiat sine ulla causa, ad summum erit veniale.

138. *Quo loco & situ dicendæ Horæ Canonicæ?* R. In privato posse recitari quo-

cunque locô decenti, & situ quocunque. Unde nec preces feriales debent necessariò dici flexis genibus, quia Rubrica est pro choro.

139. *An satisfaciat obligationi, qui recitat Officium Divinum audiendo Missam?* ℞. Satisfacere, quia per utrumque satisfit fini obligationis, qui est cultus Divinus.

140. *Quô tempore sunt Horæ recitandæ?* ℞. In privato vitari peccatum mortale, quocunque tempore à puncto mediæ noctis antecedentis, ad punctum mediæ noctis subsequentis recitentur. Si intra hoc tempus negligitur, non satisfit præcepto, non tamen est obligatio compensandi.

141. *An possit quis sine culpa totum manè, vel totum vesperi recitare?* Resp. Posse, si adsit causa etiam non gravis, etiam majoris devotionis.

142. *An & quando possit Matutinum & Laudes sequentis diei pridie recitari?* Resp. Ex consuetudine Romana ubique recepta posse semper pridie recitari, & quidem post tempus statim Vesperarum, & Completorii publicè recitari solitarum, quod est horâ quartâ pomeridianâ, aut etiam horâ tertiâ; aliqui dicunt, etiam horâ secundâ, sed non approbo.

143. *An peccet, qui non recitat Vesperas in Quadragesima ante meridiem?* Resp. Non peccare extra Chorum recitantem, sicut non pec-

peccat, non servando alias Rubricas pro Choro præscriptas.

144. *An requiratur intentio ad recitationem ex obligatione horarum Canonicarum?* ℟. Requiri ex communi omnium sensu; unde olim etiam Breviarium *Orarium* ab orando vocatum est. Et lectio Breviarii sine intentione, est actus purè indifferens, quem ab Ecclesia, & aliis tantopere exigendum esse incredibile omninò est.

145. *Qualis debeat esse hæc intentio?* ℟. Debere esse deliberatam, saltem implicitam aut confusam voluntatem DEUM orandi, laudandi, &c. Unde non satisfacies, si animô studendi aut recreandi legas totum Officium. Non tamen requiritur intentio actualis, seu formalis, sed sufficit virtualis.

146. *Requiritúrne intentio satisfaciendi præcepto?* Resp. Non requiri, quia præcepto satisfit exequendo id, quod præcipitur, intentio autem satisfaciendi non præcipitur, sed oratio.

147. *Quid si quis oraret cum expressa voluntate, nolendi per hanc orationem satisfacere?* Resp. Adhuc satisfaceret, quia talis voluntas esset inefficax in ordine ad præcepti adimpletionem impediendam; hôc ipsô enim, quòd non impediret actum præceptum, non posset impedire præcepti impletionem.

148. *Requiritúrne etiam ad satisfaciendum*

dum præcepto aliqua attentio? ℟. Requiri; cùm enim recitatio Horarum debeat esse oratio, oratio verò vocalis debeat fieri per locutionem, & oratio sit ascensio mentis in DEUM, necessariò aliquam attentionem requiret.

149. *Quotuplex est attentio?* ℟. Generatim duplex, externa, & interna.

150. *Quid est attentio externa?* ℟. Quoad orationem consistit in externa corporis compositione in modum orantis, abstinendo ab operibus externis, impedientibus internam attentionem.

151. *Quid est attentio interna?* Resp. Est præsentia animi advertentis ad id, quod agitur. Estque vel actualis, vel virtualis. Primò, ad verba, ut rectè & integrè proferantur. Secundò, ad sensum literalem verborum. Tertiò, ad DEI, Christi, Beatæ Virginis & Sanctorum præsentiam. Quartò, ad pium aliquod mysterium.

152. *Quæ attentio requiritur ad præceptum recitandi Horas?* Resp. Certum esse, quòd requiratur saltem externa. Internam verò quamvis probabile sit sub mortali non requiri, siquidem Ecclesia non judicat de internis, veriùs tamen est, requiri. Quia in *Cap. Dolentes de Celebr. Miss.* expresse præcipitur, ut devotè recitentur, & præcipitur oratio, quæ est actus Religionis, & includit attentionem.

153. *An liceat Officium pro Officio dicere?*

℟. Contra probabilem veriùs videri, quòd ex genere suo sit peccatum mortale; maximè dum Officium notabiliter brevius diceretur; quia qualitas Officii videtur etiam spectare ad substantiam Officii. Deinde multa absurda sequerentur; ut, quòd liceret toto anno recitare Officium Paschale, die Dominico in Matutino tantùm novem Psalmos breviores dicere, &c. Potest tamen esse veniale. Primò, ex parvitate materiæ, ut si semel, bis, vel raro fiat, vel si Officium sit ferè æquale. Secundò, si fiat ex inadvertentia etiam culpabili. Si autem fiat ex causa rationabili, nihil peccabis. Si aliud Breviarium ores, quàm Pii V. per se loquendo peccabis mortaliter.

154. *Excommunicatus Sacerdos obligatus orare Horas Canonicas, an possit dicere:* Dominus vobiscum? ℟. Non posse, & juxta Suarez, si sciens & volens diceret, incurreret irregularitatem, *in 3. part. tom. 5. de Cens. disp. 12. sect. 2. num. 13.* Et idem sentiendum de Diacono, quia uterque dicendo: *Dominus vobiscum*, gereret se in Officio Divino ut publicus Minister, ac proinde loco: *Dominus vobiscum*, deberet dicere: *Domine exaudi orationem meam, &c.*

Causæ excusantes ab Horis Canonicis.

155. *Quæ sunt causæ excusantes à recita-*

tione Breviarii ? Resp. Esse quatuor : Impotentiam, Charitatem, Metum, & Dispensationem.

156. *Qualis impotentia excusat* ? ℟. Non tantùm physica, sed etiam moralis, sive oriatur ex oblivione naturali, sive ex infirmitate, sive ex carentia Breviarii, sive ex ignorantia, sive legis, sive facti.

157. *Si quis non potest recitare Breviarium, an teneatur ad alias preces* ? ℟. Negativè, quia id nec lex ulla, nec ratio persuadet.

158. *An prævidens se impeditum iri postea à recitatione Breviarii, teneatur prævenire* ? ℟. Probabiliùs teneri, maximè si ab ipso sit ponendum impedimentum, quia horarum obligatio incipit cum initio diei, éstque substantialiter in toto die, & tantùm accidentaliter in certis diei horis, debet proinde accidentalis obligatio cedere substantiali.

159. *An ergo is, qui prævidet, se ipsô die non habiturum tempus orandi Matutinum & Laudes, tenetur pridie orare* ? Resp. Negativè cum Gobat, quia pridie nullô modô urget præceptum, & aliunde purum privilegium est, posse satisfacere pridie præcepto cras obliganti, privilegio autem nemo tenetur uti.

160. *Quid agendum illi, qui habet experientiam se oblivisci, si horâ consuetâ non recitet*? ℟. Adhibeat aliquod memoriæ excitativum,

quo obligationis recordetur, v. g. relinquat Breviarium apertum in loco, in quo ferè totâ die se detinere solet.

161. *An teneatur recitare, qui dubitat, se recitâsse?* ℟. Si dubium non potest vincere aliquâ probabili ratione, tenetur recitare; quia possessio stat pro præcepto, à qua per dubium non ejicitur.

162. *Quid si sciat se recitâsse, sed dubitat, an hunc vel illum Psalmum recitaverit?* ℟. Deponat dubium, & credat se recitâsse; quia non præsumitur omissio ejus, quod in ordinario cursu recitari solet.

163. *Qui solus recitare non potest, potest tamen cum socio, an teneatur eum requirere?* ℟. Probabiliùs teneri, si vel antea solebat uti socio, vel facilè habere possit, quia tenetur Ecclesiæ præcepta adimplere, dum potest ordinariâ diligentiâ.

164. *At recitare cum socio est privilegium, ergo nec admittere tenetur socium, multò minùs quærere?* ℟. Admittere, aut quærere socium, non esse privilegium, sed potiùs conformitatem cum lege instituente chorum publicum.

165. *Tenetúrne autem talis conducere socium pro pecunia?* ℟. Teneri solùm eum, qui habet beneficium, dum habet sumptus inde sufficientes, & potest conducere sine gravi incommodo; quia beneficium datur propter officium; at ex patrimonio non te-

netur conducere, quamvis ad ejus titulum sit ordinatus; quia non tenetur suis sumptibus Ecclesiæ servire.

166. *An cœcus teneatur recitare Breviarium?* ℟. Regulariter non teneri, nisi memoriâ ita teneat, ut vel per se, vel cum socio, quem commodè habere possit, recitare queat. Si autem memoriâ non teneat, non tenetur; quia esset gravissimum onus, ut altero præeunte alternatim recitaret; Canonici autem ex declaratione Cardinalium tenentur sic in Choro, vel extra, dum sine causa absunt, recitare. *Tiber. c. 14. §. Dico in fine.*

167. *An etiam surdi obligentur?* ℟. Affirmativè; quia possunt privatim recitare; hi autem non satisfaciunt alternatim cum socio recitando; quia ei non communicant; in Choro tamen satisfaciunt suam partem canendo; quia faciunt servitium Chori, nec intendit Ecclesia gravissimam imponere obligationem repetendi.

168. *An qui non potest recitare totum Officium, teneatur ad partem, quam potest?* ℟. Ab Innocentio XI. damnatam esse hanc propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Ex quo videtur declaratum, orandum esse, quod orare potes, saltem si sit aliqua pars notabilis.

169.

169. *Qualis Charitas deobligat à recitatione Officii?* ℞. Charitas tam propria, quàm proximi, si scilicet non omittendo Breviarium vel totaliter, vel partialiter, cogatis subire aliquod grave incommodum, vel magnum opus charitatis negare proximo; ut, si paranda sit subitò concio, si assistendum moribundo, si sit multitudo pœnitentium, &c.

170. *Qualis metus excusat?* ℞. Quando quis ex recitatione Breviarii timet probabiliter notabile damnum in bonis, propriis, aut alienis, vel qui ex metu cadente in constantem virum injustè incusso factus est Subdiaconus vel Religiosus; talis enim, sicut non obligatur voto Castitatis, ita neque hoc præcepto.

171. *Quis potest dispensare recitationem Breviarii?* Resp. Summus Pontifex, etiam cum Beneficiato; qui tamen, ut tutus sit in conscientia, caveat, ne ejus supplex libellus contineat allegationem causæ non subsistentem.

172. *Potéstne etiam Episcopus dispensare?* ℞. Per se loquendo, non potest, quia inferior non potest, per se loquendo, relaxare legem Superioris; potest tamen fieri, ut alicubi fuerit per longum usum acquisitum jus dispensandi. Et Tamburinus putat, jam ubique esse præscriptum, si agatur de brevi tempore, cùm sit casus valde frequens.

173. *Quid possunt quoad hoc Prælati Regulares?* ℟. Qui profitentur Chorum, possunt dispensare cum Choristis. Alii quid possint, docebunt privilegia eorum; certum est, totum posse respectu suorum, quod Episcopi possunt respectu suorum subditorum in hac materia.

174. *An excommunicati, suspensi, degradati deobligentur à recitatione Officii?* ℟. Negativè, quia talibus nec DEUS, nec Papa patrocinatur in hoc; imò nec damnatos ad triremes, exemptos esse, judicant aliqui; quamvis alii contrarium sentiant.

175. *An beneficiatus excusari possit à recitatione Officii, si priusquam omittat, proponat restituere fructus correspondentes omissioni?* ℟. Negativè, quia lex obligans ad restitutionem, est pœnalis, ergo supponit culpam.

176. *An non excusentur beneficiati, qui nondum habent possessionem beneficii, vel qui adepti sunt beneficium ita litigiosum, ut sit verè dubium, an sint causam obtenturi, nec interim ullum fructum percipiunt?* ℟. Cum communi affirmativè.

177. *An excusetur etiam novus Canonicus, ex consuetudine sui Capituli uon recipiens ullos fructus uno aut altero anno?* ℟. Excusari.

178. *An excusentur & ii, qui ob furtum, sterilitatem anni, aquarum inundatio-* nem,

nem, pruinam, grandinem, hostium incursionem, nihil percipiunt uno alteróve anno; vel si habeant ita tenue beneficium, ut non suppeditet bonam partem tenuis sustentationis? Resp. Cum communi affirmativè. Adde his & illum, qui est Capellanus Capellaniæ fundatæ cum expressa conditione, ut non sit obligatus ratione Capellaniæ ad Horas Canonicas recitandas. Et hæc de Beneficiatis intelligenda sunt, præcisô sacrô Ordine, aliunde ad Horarum Canonicarum recitationem obligante.

CAPUT II.

De Subdiaconatu.

I.

QUid est Ordo Subdiaconatûs? Resp. Ex Tamburino: *Est Ordo sacer Ecclesiasticus, quo datur potestas assistendi in Altari Presbytero sacrificanti, ministrando ei calicem cum vino, & patenam cum hostia.* Et item: *Potestas solenniter legendi Epistolas in Missa.* Alii definiunt, quòd sit *Sacer Ordo, seu Ordinatio, per quam traditione calicis vacui, cum patena vacua, sub præscripta verborum forma, datur potestas au inserviendum Altari.*

2. *Cur in definitione à Tamburino data* ad-

additur: Miniſtrando calicem cum vino, & patenam cum hoſtia; *ſiquidem hoc videtur potiùs eſſe officium Diaconi?* ℟. Hanc poſſe eſſe rationem, quòd Subdiaconus miniſtret & calicem cum patena, & hoſtia, & vinum calici infundendum Diacono; ideóque poteſt dici ſaltem mediante Diacono, miniſtrare Sacerdoti calicem cum vino, & patenam cum hoſtia, priùs ab ipſo præparata.

3. *Quomodo ordinandus in Subdiaconum debet accedere ad ordinationem?* Reſp. Debet accedere initiatus minoribus Ordinibus, examinatus, approbatus ab Archidiacono, præſentatus Epiſcopo ordinanti, convenienter diſpoſitus ad Sacram Communionem, veſtibus ſacris, amictu, alba, cingulo indutus, manipulum manu ſiniſtrâ, candelam offerendam dextrâ, tunicellam ſuper ſiniſtrum brachium geſtans, habens tonſuram patentem.

4. *Quando ſunt plures Subdiaconi, aut Diaconi ſimul ordinandi, requiritúrne, ut ſinguli habeant ſuam tunicellam, aut Dalmaticam?* Reſp. Non requiri, ſed poſſe ex præſcripto Pontificalis, eandem ſucceſſivè omnibus imponi; aliud videtur de Sacerdotibus dicendum, qui cùm celebrent Miſſam cum ordinante, debent omnes eſſe induti ſacris veſtibus.

5. *Quæ eſt materia hujus Sacramenti?* Reſp. Certum eſſe *ex Concilio Florentino*, quòd calix

calix vacuus cum patena superposita sit materia remota, ejúsque traditio sit materia proxima.

6. *An non etiam liber Epistolarum, ejúsque traditio, est materia hujus Sacramenti?* ℞. Discrepare Authores, dici tamen posse materiam secundariam.

7. *Quid sentis de ampullis cum pelvicula & manutergio, quæ etiam traduntur Subdiacono, sub eadem formula verborum cum calice & patena?* ℞. Hanc traditionem non esse materiam hujus Sacramenti, quia ea fit tantùm ab Archidiacono. Materiæ autem majorum Ordinum debent tradi ab Episcopo.

8. *Quæ est forma hujus Sacramenti?* Resp. Principalis & essentialis est: *Videte, cujusmodi ministerium vobis tradatur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, quòd DEO placere possitis.* Secundaria ad librum Epistolarum est: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi in Ecclesia sancta DEI tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Patris, &c.* Ad urceolos & ampullas nihil dicitur specialiter.

9. *Súntne omnia verba hæc formæ essentialia?* ℞. In prima forma, illa verba: *Ideo vos admoneo, &c.* non esse essentialia, sed tantùm adhortatoria. In secunda etiam: *Invocatio SS. Trinitatis*, essentialis non est.

10. *Si traderetur ordinando solus calix, vel sola patena, essétne validè ordinatus?* Resp.

Probabiliùs negativè; quia traditio illa refertur ad utramque partem Sacrificii, scilicet Corporis & Sanguinis; ideo utriusque vasa tradi debent.

11. *Súntne de necessitate vasa consecrata?* ℟. In praxi debere esse consecrata ex usu Ecclesiæ; & docent aliqui, esse de necessitate Sacramenti, quamvis oppositum sit verius, *ex Tamb. de Ord. l. 7. c. 3. §. 2.*

12. *Si Subdiacono tradatur calix cum vino, & patena cum hostia, eritne valida ordinatio?* Resp. Erit, ita de Lugo; quia utile per inutile non vitiatur; ac proinde calix & patena, quæ sunt vera materia hujus Sacramenti, non vitiantur per præsentiam vini & hostiæ. Quia Episcopi intentio solùm est, tradere sola vasa sine materia contenta in iis.

13. *Quas conditiones requirit Ecclesia, ut quis ritè ordinetur in Subdiaconum?* Resp. Ut receperit primam Tonsuram clericalem, & quatuor minores Ordines, attigerit certos annos ætatis, habeat titulum legitimum, & testimonium bonum de vita & moribus, nullâ sit censurâ & irregularitate irretitus, intendat omnia Subdiaconi munia obire, sit in statu gratiæ, & ut examine probetur sufficiens.

14. *Quæ sunt vestes Subdiaconi?* Resp. Amictus, alba, cingulum, manipulus, & tunicella; manipulus quidem est propria ipsius ve-

vestis, aliæ communes Diacono. *Ita Tiberius c. 5. quæst. 31.*

15. *Quid significat Tunicella?* ℞. Doctrinam Christi; unde in veteri Lege tintinnabula ex tunica pendebant; vel significat lætitiam & jucunditatem, quæ sequitur perseverantiam castitatis.

16. *Quod est officium Subdiaconi?* Resp. Ex Pontificali sunt sequentia: Primò, aquam ad ministerium Altaris præparare. Secundò, Diacono ministrare. Tertiò, pallas Altaris & corporalia abluere. Quartò, calicem & patenam in usum Sacrificii Diacono offerre. Quintò, panem consecrandum pro populo in Altari ponere. Adde ex aliis Rubricis sextò, crucem in supplicationibus gestare. Septimò, Epistolam in Missa solenniter cantare. Octavò, olim Subdiaconus ad januam mulierum, sicut Diaconus ad januam virorum, dum ii templa ingrediebantur, ad sexus distinguendos assidebant.

17. *Nunquid alii possunt legere Epistolam, qui non sunt Subdiaconi?* Resp. Non possunt solenniter, hoc est, cum manipulo, & ex officio.

18. *An possit simplici Sacerdoti committi à Papa ordinatio Subdiaconi?* ℞. Valde probabiliter posse, quia id innuit *Florent.* hôc ipsô enim, quòd docuit, ordinarium ministrum esse Episcopum, innuere videtur, ex commissione posse esse Sacerdotem simplicem.

Et

Et dicitur Abbatibus Cistercienſ. datum eſſe hoc privilegium.

19. *Quæ ætas requiritur ad Subdiaconatum?* ℞. *Ex Trid. ſeſſ. 23. c. 12.* annus 22. inchoatus.

20. *Si dimiſſus à ſuo ordinario non habeat titulum menſæ, potéſtne propter hoc repelli ab ordinante?* ℞. Non poſſe, quia onus hoc exquirendi incumbit Ordinario, qui ſi negligat, obligatur illi dare alimenta, quando particulari dat dimiſſorias. *Ex capit. ſi Epiſc. de præb. & dign. in 6.* Aliud eſt, fortè ſi dimittens in dimiſſoriis onus imponat ordinanti exquirendi à dimiſſo, an ſit inſtructus omnibus neceſſariis.

21. *Qualis ſcientia requiritur in Subdiacono?* Reſp. In rigore Juris ex *Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 13.* nihil aliud requiritur, quàm ut ſit in litteris, & in iis, quæ ad Ordinem ſuum exercendum pertinent, inſtructus. Illud addendum videtur, ut ſciat Horas Canonicas ſaltem aliquô modô recitare. Cæterùm cùm pro minoribus Ordinibus etiam requiratur inſtructum eſſe in Rudimentis fidei, utique in Subdiacono major horum notitia requiretur.

22. *Qualis litteratura requiritur in Subdiacono?* ℞. De jure communi ſufficiet, ſi libros communes latinos intelligat, ſeu ex Latino in vulgare idioma vertere poſsit. Gobat exiſtimat, poſſe ordinari, etiamſi Rubricas Breviarii nequeat intelligere, dummodo ha-

habeat ſocium, à quo eas condiſcat, nec deſint alia requiſita.

CAPUT III.

Ex Doctrina Fidei pro Subdiaconis.

De Eccleſia.

I.

QUotuplex eſt Eccleſia DEI quoad ſtatum? ℟. Duplex: Militans & Triumphans.

2. *Quæ eſt Eccleſia militans?* ℟. Eſt illa, quæ adhuc pugnat in terris adversùs ſalutis hoſtes, mundum, carnem, dæmonem, habetque mixtos malos bonis.

3. *Quæ eſt Triumphans?* ℟. Eſt cœtus beatarum animarum, atque etiam Angelorum, in cælo cum pace regnantium, & DEI faciem intuentium cum lætitia.

4. *Fuitne ſemper ab initio mundi Eccleſia militans?* ℟. Fuit, eſt & erit uſque ad finem mundi, ſed ſecundùm diverſos ſtatus, præcepta & ritus.

5. *Quot & qui fuerunt ſtatus diverſi Eccleſiæ militantis?* ℟. Tres: Primus vocabatur Legis naturæ. Secundus, Legis ſcriptæ. Tertius, Legis gratiæ.

6. *Quando & quamdiu durârunt hi ſtatus?*

℟. Primus, ſerviebat DEO per præcepta legis naturalis ab Adam uſque ad Moyſem, per ſpatium circiter bis mille annorum. Secundus, legis ſcriptæ, per præcepta legis Moſaicæ, uſque ad Chriſtum, per ſpatium ferè bis mille annorum. Tertius à Chriſto conditus, Eccleſiam in ſtatu perfectiori fundando, à quo cœpit illa Congregatio, quæ ſimpliciter Eccleſia vocatur.

7. *Quid fecit Chriſtus ad fundandam hanc Eccleſiam in meliori ſtatu?* Reſp. Primò, præcepta judicialia Veteris Legis abrogavit. Secundò, ſimiliter præcepta cæremonialia, tanquam figuras tantùm vitæ & paſsionis ſuæ. Tertiò, præcepta fidei aliquô modô auxit, quatenus plura diſtinctè & expreſsè credi voluit, quæ à Judæis implicitè & obſcurè credebantur, utì ſunt: Myſterium Trinitatis, Incarnationis, Mortis & Reſurrectionis ſuæ; præcepta etiam moralia Decalogi explicavit, & perfecit, additione conſiliorum. Quartò, præcepta Sacramentalia de novo inſtituit.

Fides Divina.

8. *Eſtne Fides Divina neceſſaria ad ſalutem?* ℟. In adultis eſſe neceſſariam, neceſsitate tam medii, quàm præcepti, Matth. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. Fides eſt humanæ ſalutis initium, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO.*

9. *Quid*

9. *Quid est esse necessarium necessitate medii, & necessitate præcepti?* ℞. Necessitas medii est in re, sine qua vel in re, vel in voto habita, etiam invincibiliter ignorata, simpliciter salus haberi nequit. Necessitas præcepti tantùm est in re, quæ vi obligationis ex Superioris præcepto ortæ facienda est.

10. *Quorum objectorum fides explicita est necessaria necessitate medii in Lege Gratiæ?* ℞. Primò, DEI ut Remuneratoris supernaturalis, ad Hebr. 11. *Accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.* Ubi Apostolus loquitur de fide, quam definiverat, quòd sit: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; quæ utique sunt supernaturalia.

11. *Quæ alia fides explicita necessaria est necessitate medii?* ℞. Fides Christi & sanctissimæ Trinitatis, Joan. 3. *Oportet exaltari Filium hominis, ut is, qui credit in ipsum, non pereat; qui enim non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii DEI.* Mysterium verò Trinitatis connexum est intimè cum mysterio Incarnationis.

12. *Estne aliud credere in DEUM, credere DEUM, & credere DEO?* ℞. *Credere DEO*, est assentiri verum esse, quod DEUS dixit. *Credere DEUM*, est credere DEUM esse. *Credere in DEUM*, est amando credere in ipsum, seu ire amore, credendo in DEUM.

San-

Sanctissima Trinitas.

13. *Siquidem credis in Sanctissimam Trinitatem, dic quid sit illa?* ℞. Est unus DEUS in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto.

14. *In quo conveniunt & differunt hæ personæ?* ℞. Conveniunt in una natura, seu essentia in omnibus absolutis attributis, & in omni actione ad extra. Differunt autem in prædicatis relativis, Paternitatis, Filiationis, Spirationis.

15. *An & à quo producantur hæ tres Personæ?* ℞. Pater est ingenitus, & improductus. Filius à solo Patre producitur per generationem. Spiritus sanctus procedit ab utroque tanquam uno principio, per amorem.

16. *Quomodo in Symbolo Pater vocatur Creator cæli & terræ?* ℞. Aliqua opera per appropriationem attribuuntur uni personæ potiùs quàm alteri. Opera scilicet, in quibus elucet maximè potentia, tribuuntur Patri, quia est principium sine principio; in quibus elucet maximè sapientia, tribuuntur Filio, quia producitur per intellectum; in quibus elucet DEI amor, tribuuntur Spiritui sancto, procedenti per amorem.

17. *Cur sola tertia persona vocatur Spiritus sanctus, cùm & Pater & Filius sint Spiritus, & sint sancti?* ℞. Spiritum sanctum non ideo vo-

vocari sic, quia est substantia spiritualis, & sancta, hoc enim etiam reliquæ personæ habent, sed quòd speciali modo procedat per spirationem, seu amorem.

18. *Quæ fides est necessaria necessitate præcepti?* Resp. Omnes Christianos per se loquendo obligari præceptô Divinô ad explicitè credendum omnes Articulos Symboli Apostolici secundùm substantiam spectatos. Et præter hos per se loquendo, & ratione præcisè cognitionis ex præcepto Divino, nihil credendum esse necessariò omnibus & singulis. Primum patet, quia nulla certior regula videtur assignari posse universaliter credendorum ex præcepto Divino, quàm hæc. Secunda pars etiam patet, quia credibile non est, Apostolos, qui omnibus ad salutem creditu necessaria in Symbolo tradiderunt, non tradidisse etiam sufficientia, & aliquid eorum omisisse, quod per se directè credi deberet.

Incarnatio.

19. *Quid est Incarnatio?* ℞. Est unio Filii DEI, seu Verbi Divini, aut secundæ Trinitatis personæ cum humanitate. Vel est assumptio humanitatis propriâ personalitate destitutæ, ad unionem cum persona Verbi.

20. *Quid est Christus?* ℞. Est Filius DEI incarnatus.

21. *Quot naturæ & personæ sunt in Christo?* ℟. Naturas duas esse, humanam & divinam: personam unicam, Verbi Divini.

22. *Habuitne Christus animam rationalem, vel Verbum Divinum fuitne illi locô animæ?* ℟. Nisi animam rationalem habuisset, non fuisset verus & perfectus homo.

23. *Erátne Incarnatio necessaria ad salvandos homines?* Resp. Simpliciter non fuit, sed solùm ad satisfaciendum pro peccatis hominum.

24. *Redemitne Christus omnes homines?* Resp. Redemit omnes liberando ab impotentia salutis consequendæ; non autem in actu secundo omnes justificando, vel salvando.

25. *Cur non omnes redemit in actu secundo justificando, & salvando?* Resp. Ex malitia ipsorum, nolentium præceptis obtemperare, & adhibere media ad salutem necessaria.

26. *Venturúsne erat Christus, si Adam non peccásset?* ℟. De facto redemptio humani generis fuit inter principales fines Incarnationis. Quid autem futurum fuisset in illa hypothesi, disputant Theologi.

27. *Quomodo est mortuus Christus?* ℟. Per separationem animæ à corpore.

28. *Ubi fuit tunc anima, corpus & Divinitas Christi?* ℟. Anima descendit ad inferos, corpus mansit in sepulchro, Divinitas fuit

fuit unita utrique; quod enim semel assumpsit, non dimisit.

29. *Quomodo ergo facta est Resurrectio Christi?* ℟. Per reunionem animæ ad corpus, cum exitu de sepulchro.

30. *Quibus modis operatur Christus salutem humani generis?* ℟. Maximè Sacramentis, quæ instituit ad conferendam hominibus sanctitatem.

Sacramenta.

31. *In qua re consistunt Sacramenta?* ℟. In certa quadam ceremonia sensibili, quæ suô usu subjectum DEO consecrat, sanctitatémque aliquam tribuit, verámque animæ sanctitatem significat. Hócque est commune Sacramentis, tam veteris, quàm novæ Legis.

32. *Per quid differunt Sacramenta novæ Legis, à Sacramentis veteris Legis?* ℟. Quòd veteris Legis Sacramenta non causabant gratiam in subjecto suscipiente, sicut Sacramenta novæ Legis causant.

33. *An Evangelium, Imagines Christi & Sanctorum, serpens æneus, arca fœderis, nubes supra Christum apparens, transitus maris rubri, sint, vel fuerint Sacramenta, cùm significaverint aliquam sanctitatem?* ℟. Negativè, quia non fuerunt signa sacra, seu ceremoniæ seipsis formaliter sacrantes.

34. An

34. *An ergo Professio Religiosa, Prima Tonsura, Benedictio Abbatis, Unctio Regum, Aspersio Aquæ benedictæ, Absolutio ab excommunicatione, Dispensatio in irregularitate, &c. cùm aliquam sanctitatem hominibus conferant, Sacramenta erunt?* Resp. Negativè, quia non significant veram sanctitatem internam, seu gratiam sanctificantem.

35. *An non saltem martyrium Sacramentum erit, siquidem veram sanctitatem animæ infallibiliter confert?* ℟. Non esse; quia nec est ceremonia sacra ex parte inferentis illud, nec ex parte sustinentis.

36. *An Sacrificium incruentum quà tale sit Sacramentum?* ℟. Non esse; quamvis enim sit & ceremonia sacra, & significet rem sacram, tamen non est ceremonia sacra ad homines immediatè consecrandos, nec significat veram animæ sanctitatem, sicut Sacramenta, sed est ceremonia immediatè tantùm ad cultum DEI & ejus dominium recognoscendum, & ad significandam excellentiam DEI, cultúmque ei debitum instituta.

37. *Quibus perficiuntur Sacramenta novæ Legis?* ℟. Ex Concil. Florent. omnia perfici rebus & verbis lato modo sumptis, saltem respectu aliquorum Sacramentorum, & quidem ita, ut res sint tanquam materia, verba tanquam forma.

38. *Cur dixisti: Rebus & verbis lato modo sumptis perfici Sacramenta?* ℟. Tum quia matrimonium potest perfici etiam nutibus, qui non sunt verba formalia; tum quia actus pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ non omnes sunt res per se sensibiles, quamvis reddantur tales per confessionem.

39. *Estne etiam intentio ministri de essentia Sacramenti?* ℟. Est, quia cùm verba sint de essentia, & verba, quà talia, ut à ministro Christi prolata essentialiter constituantur per intentionem, tanquam locutio formalis, erit etiam ipsa de essentia.

40. *Qualis intentio requiratur, & sufficiat in ministro?* ℟. Actualis est optima, virtualis tamen sufficit, habitualis minimè; quia non potest influere in actionem, quæ tamen deberet ab illa procedere.

41. *Estne materia & forma Sacramentorum à Christo determinata?* ℟. Esse omninò determinatam, in quibusdam quidem determinatione ad speciem infimam; in aliis ad genus proximum; in aliis tantùm ad genus aliquod remotum, relinquendo Ecclesiæ potestatem intra illud genus determinandi hanc vel illam speciem.

42. *An materia & forma Sacramentorum, quatenùs à Christo determinata, mutari possint ab Ecclesia?* Resp. Negativè, ex *Tridentino sess. 21. c. 2. Hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum*

torum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.

43. *An non mutaverit Ecclesia substantiam matrimonii, dum statuit clandestinum esse invalidum, & substantiam Ordinum, dum alias materias eorum constituit, quàm priùs fuerint?* Resp. Non mutâsse substantialiter, in quantum à Christo sunt determinatæ, sed tantùm determinationem à Christo in genere factam de contractu civili valido in ordine ad matrimonium, & de signo potestatis collativo in ordine ad Ordines, materialiter determinâsse ad hanc speciem contractûs, vel signi.

44. *Quando ergo fit mutatio substantialis in materia Sacramentorum?* Resp. Quando materia adhibita vi mutationis non amplius continetur sub significato proprio, secundùm communem intelligentiam illarum vocum, quibus Scriptura, Patres & Concilia usa sunt, dum nobis materiam Sacramenti expresserunt.

45. *Quæ autem est variatio substantialis in formis Sacramentorum?* ℞. Omnis illa & sola, quæ invertit sensum formæ à Christo ad nos per traditionem transmissæ, & ab Ecclesia receptæ, ac præscriptæ, ita ut non significetur illud,

illud, quod Christus per formam à se institutam voluit significari.

46. *Quot modis potest fieri mutatio substantialis formæ?* ℞. Primò per additionem verborum. Secundò, per substitutionem unius vocis pro alia. Tertiò, per vocum transpositionem. Quartò, per corruptionem, seu pravam prolationem verborum formæ. Quintò, per interruptionem.

47. *An Sacramenta novæ Legis causent gratiam ex opere operato?* ℞. Affirmativè, éstque de fide definitum in *Concil. Trid. sess. 7. plurib. Canonib. à Can. 4.*

48. *Quid est causare gratiam ex opere operato, & ex opere operantis?* ℞. Causare ita, ut gratia non conferatur immediatè, attentâ ratione meriti, honestatis, & dignitatis ipsius operis, est causare ex opere operato. Causare verò intuitu meriti & bonitatis moralis operis, est ex opere operantis.

49. *Causántne gratiam illam physicè, vel moraliter tantùm?* ℞. Secundùm quod Sacramenta dicunt res, & verba, non causant physicè gratiam; quia ex doctrina Patrum tota vis Sacramentorum consistit in sanguine, morte, resurrectione Christi Domini, quæ utique tantùm moraliter sunt in rebus & verbis sacramentalibus.

50. *Quotuplicem gratiam conferunt Sacramenta?* ℞. Duplicem; unam omnibus Sacramentis communem, per quam sumus for-

maliter amici DEI, & vocatur gratia habitualis; alteram singulis Sacramentis propriam, fini speciali singulorum Sacramentorum deservientem, & hæc communiter consistere dicitur in gratiis actualibus, & auxiliis Divinis, seu illustrationibus, & piis affectionibus ad exigentiam singulorum Sacramentorum collatis.

51. *Quales sunt hæ gratiæ quoad Baptismum & Confirmationem?* R. Ille confert gratias ad piè & christianè vivendum; hæc ad constanter & fortiter profitendam fidem coram tyranno.

52. *Quales confert Eucharistia?* R. Ad sedandas & minuendas passiones iræ, invidiæ, luxuriæ, &c. augendúmque speciale charitatis erga DEUM incendium.

53. *Quales Pœnitentia & Ordo?* R. Illa ad resistendum peccato, & non peccandum de cætero, hic ad devotè & piè exercendum ministerium cultûs Divini.

54. *Quales Extrema Unctio, & Matrimonium?* R. Illa ad fortiter dimicandum in agone contra dæmonem, hoc ad vivendum debito modo, muniáque matrimonium sequentia debitè exequenda, ac ejus onera ferenda.

55. *Differúntne hæ gratiæ Sacramentales à communi gratia virtutum, seu à non Sacramentalibus?* R. Differre aliquo modo; quia aliàs non esset ratio formaliter distinguendi ipsa

ipſa Sacramenta inter ſe, ſed tantùm materialiter; ſiquidem communis eſſet finis omnium Sacramentorum.

56. *Differúntne hæ gratiæ phyſicè, vel moraliter tantùm?* ℟. Tantùm moraliter & non phyſicè, quia una gratia habitualis intendit alteram, quod non fit per qualitates diverſæ ſpeciei; gratiæ verò actuales ejuſdem rationis, quæ per Sacramenta conferuntur, poſſent conferri etiam ex alia cauſa.

57. *Quomodo differt moraliter gratia habitualis Sacramentalis à non Sacramentali; vel unius Sacramenti à gratia alterius?* ℟. Per ordinem ad gratias actuales cuilibet Sacramento proprias ſuo tempore infallibiliter dandas, quatenus ſcilicet gratia per Sacramentum data, fundat quaſi jus aliquod ad tales gratias actuales, quod jus conſurgit ex promiſsione Divina, per quam dum donat gratiam, ſimul ſe obligat dare ſuo tempore hæc auxilia intuitu Sacramenti ſuſcepti.

58. *Quomodo gratiæ actuales Sacramentales differunt moraliter ab aliis?* ℟. Differre, quatenus datæ ſunt intuitu Sacramentorum ad certum finem ordinatorum & inſtitutorum, ac etiam ſecundùm exceſſum, quatenus intuitu gratiæ habitualis per Sacramentum acquiſitæ, accipit quis gratias actuales abundantiores ad certas operationes, quàm intuitu gratiæ habitualis in eodem gradu alia via acquiſitæ.

59. *Confertúrne prima gratia per omnia Sacramenta?* ℟. Per Sacramenta vivorum per se non conferri, sed tantùm per Sacramenta mortuorum.

60. *Súntne ergo, & quæ sunt Sacramenta alia mortuorum, alia vivorum?* Resp. Sunt; & quidem mortuorum sunt: Baptismus & Pœnitentia. Reliqua quinque sunt vivorum.

61. *Quare vocantur vivorum, & quare mortuorum?* Resp. Quia illa supponunt gratiam, quæ vita animæ dicitur, in subjecto suscipiente; hæc tollunt mortem animæ, quam quis incurrit per peccatum mortale.

62. *Quare vocatur gratia per Sacramentum mortuorum collata, prima gratia?* ℟. Quia per illam peccator DEO per peccatum in anima mortuus, resurgit à morte ad vitam spiritualem. Secunda autem gratia vocatur, quæ confertur jam vivo vitâ spirituali, & est tantùm augmentum gratiæ.

63. *Ejusdem speciei Sacramenta conferúntne semper subjectis æqualem gratiam?* Resp. Si sint etiam æqualiter disposita subjecta, conferent æqualem; quia habitis omnibus æqualibus, non est ratio, cur non sit æqualis effectus.

64. *Quid si autem subjecta sint inæqualiter disposita?* Resp. Tunc juxta mensuram di-

dispositionis majorem , vel minorem causabunt gratiam. Ex *Trident. sess. 6. c. 7.* ubi inquit : *Nos justificari , justitiam in nobis recipientes , unusquisque suam , secundùm mensuram , quam Spiritus sanctus partitur singulis , prout vult , & secundùm propriam uniuscujusque dispositionem , & cooperationem.*

65. *At nunquid tunc excessus gratiæ confere-tur ex opere operantis?* ℟. Nullâ ratione, quia non confertur intuitu majoris honestatis in opere, sed intuitu institutionis Divinæ, volentis positâ hâc meliori dispositione tanquam conditione majorem gratiam conferre. Potest autem etiam, intuitu meriti augmentum proportionatum fieri.

66. *Quis est secundarius effectus Sacramentorum ultra gratiam?* ℟. A tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine conferri etiam characterem, id est signum spirituale indelebile à cæteris distinctivum, collativum alicujus potestatis.

67. *Quæ congruentia est, ut hæc tria Sacramenta conferant characterem?* ℟. Sicut in magni Regis Familia Domestici, Milites, & Duces exercitûs peculiaribus signis notantur, & designantur; ita in Christi Ecclesia, baptizati, tanquam ejus domestici, confirmati tanquam milites, ad defendendam fidem coram Tyranno, & ordinati tanquam duces ad

ad regendum populum, conveniebat, ut peculiari Christi notâ insignirentur, quæ vocatur character.

68. *A quo sunt instituta 7. Sacramenta novæ Legis?* ℟. Omnia immediatè à Christo Domino. *Ita Trid. sess. 7. Can. 1. Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* Nec potest intelligi de mediata solùm institutione, cùm *sess. 21. c. 2.* neget ullam potestatem dari in Sacramenta in Ecclesia, nisi salvâ eorum substantiâ.

69. *An solus homo sit minister Sacramentorum?* ℟. De lege ordinaria solus homo; quia in institutione illorum solis hominibus dedit Christus hanc potestatem, ut consideranti patet.

70. *An intentio Ministri debeat esse seria, vel sufficiat etiam solùm jocosa?* ℟. Debere esse seriam, saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Ex *Trid. sess. 7. Can. 11.* Et hoc patet ex institutione Christi de Baptismo: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* De Pœnitentia: *Quorum remiseritis, &c.* De Eucharistia: *Hoc facite in meam commemorationem, &c.* Ubi clarum est, exigi veram voluntatem conferendi gratiam & effectum Sacramentorum.

71. *An sufficiat ad Sacramentum voluntas, seu intentio conditionata?* ℟. Sub conditione de præsenti vel præterito valet subsistente con-

conditione, de futuro non valet, nisi in matrimonio ratione contractûs, vel nisi conditio sciatur certò futura.

72. *Pro quo sunt instituta Sacramenta?* ℞. Pro solis hominibus viatoribus; cùm enim sint remedia salutis obtinendæ, iis solùm deservire debebant, qui essent in via ad salutem.

73. *Quid est esse viatorem?* ℞. Est esse illum, qui nondum pervenit ad beatitudinem, sed est in statu tali, in quo potest & tenetur tendere ad illam, qui vocatur status viæ.

74. *Requiritúrne etiam in suscipiente intentio ad valorem Sacramenti?* ℞. Requiri in adultis libertate præditis; conveniebat siquidem, ut hi liberè se disponerent ad gratiam & gloriam.

75. *In suscipiente sufficitne intentio habitualis?* ℞. Sufficere, de Baptismo clarè patet *ex Conc. Carthag. III. Can.* 34. ubi sic habetur: *Si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium, si, qui sui sunt, dixerint, baptizentur. Et in Arausi. I. Can.* 10. etiam de pœnitentia: *Obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* De aliis Sacramentis patet ab identitate rationis. Et si intentio virtualis sufficit in Ministro, cur non habitualis in suscipiente, qui se tantùm passivè habet.

76. *An sufficiat etiam voluntas generalis & præsumpta in suscipiente?* Resp. Quoad extremam Unctionem sufficere, constat ex consuetudine Ecclesiæ, quâ solet iis conferri, qui rationis usu subitò destituuntur, quamvis expressè hoc Sacramentum non petierint. De Eucharistia patet ex Catechismo Roman. ubi dicitur: *Si, antequam in insaniam inciderint, piam ac religiosam animi voluntatem præ se tulerint, licebit iis in fine vitæ, ex Concil. Carth. decreto, Eucharistiam administrare, modò nullum periculum timendum sit vomitionis, vel alterius indignitatis.* De Confirmatione etiam patet à paritate Eucharistiæ, quæ si cum fructu potest conferri infantibus, & amentibus, cur non Confirmatio.

77. *Quid de aliis Sacramentis?* Resp. De Baptismo prius dictum est, requiri voluntatem positivam saltem præteritam. De Pœnitentia, spectat ad materiam de Presbyteratu. Ordo autem & Matrimonium, cùm non sint Sacramenta communia omnibus Christianis, & penes utilitatem sibi conjunctam, magna secum trahant onera & obligationes, ideo non potest censeri illorum voluntas inclusa in intentione universali christianè vivendi, multò minùs in voluntate servandi omnia præcepta.

78. *Qualis dispositio requiritur ex parte suscipientis ad effectum primarium, id est,* gra-

gratiam sanctificantem, recipiendam per Sa-cramenta mortuorum? Resp. Ad effectum Baptismi in adulto, si nullum praecesserit peccatum actuale mortale, solum actum Fidei requiri, quia de alia dispositione nullum est fundamentum; si verò praecesserit aliquod peccatum personale, requiritur saltem attritio. Idem est de Sacramento Poenitentiæ.

79. *Qualis autem requiritur ad effectum Sacramentorum vivorum?* ℞. Per se sufficit status gratiæ, quia hæc Sacramenta conferunt gratiam, ubi non inveniunt obicem.

80. *An minister peccator, hæreticus, infidelis, validè administret Sacramentum?* ℞. Validè, ex Matthæi 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, &c.* Quia Minister Sacramentorum operatur virtute & authoritate Divinâ. Joan. 1. *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Deus autem non aufert ministris hanc potestatem, propter peccatum, sicut nec aufert alias gratias, gratìs datas, jurisdictionem, aut possessionem bonorum temporalium.

81. *An peccet mortaliter Minister ordinarius, conficiens Sacramentum in statu peccati mortalis?* Resp. Peccare, quia tam sacram actionem nomine DEI faciendam, continentem passionem & merita Christi, ordinatam ad sanctificandos homines, indignè exercet. Unde præmitti debet con-

tritio ad minimum, & in volente sacrificare etiam confessio, si fieri potest, ex speciali præcepto, ratione communionis conjunctæ.

82. *An etiam alii Clerici, v. g. Diaconi & Subdiaconi sua munia peragentes, vel etiam Presbyteri alia munia in statu peccati mortalis exercentes, peccent mortaliter?* R. Negativè; quia hæ actiones non sunt tam sacræ, sicut Sacramentales.

83. *An sit licitum, petere à ministro Sacramentum, quem scio in administratione peccaturum?* R. Licitum esse, si præcisè ex sua malitia peccaturus est; quia quando subest justa causa petendi, quod licitè fieri potest, licèt prævideatur peccaminosè futurum ex alterius malitia, petenti non imputatur peccatum per accidens conjunctum cum effectu petito; meum enim jus non debet impediri per malitiam alterius, & tunc petens non habet se positivè, sed tantùm permissivè ad peccatum.

Sacramentalia.

84. *Quid sunt Sacramentalia?* R. Sunt res quædam ab Ecclesia institutæ in eum finem, ut per eorum usum venialium peccatorum remissio obtineatur, idque virtute doloris, quem exercet is, qui eis utitur, qui dolor concipitur virtute gratiarum excitantium, quas

sæpè

sæpè sæpiùs concedit Deus in devoto Sacramentalium usu propter Ecclesiæ preces & merita, quam sæpè exaudit.

85. *Quomodo ergo differunt Sacramentalia à Sacramentis?* Resp. Primò: Sacramenta sunt à Christo instituta, Sacramentalia solùm ab Ecclesia. Secundò, illa conferunt gratiam ex opere operato, ex se ipsis, hæc non ex se ipsis, sed tantùm virtute doloris, quando is exercetur. Tertiò, illa sunt instituta etiam ad remissionem mortalium, hæc ad remissionem venialium. Quartò, illa infallibilem consequuntur effectum in non ponentibus obicem; hæc non ita infallibilem habent effectum, quia non est certum, semper Ecclesiam exaudiri à DEO. Inter Sacramentalia autem numerantur: Aqua benedicta, panis benedictus, confessio generalis cum tunsione pectoris, benedictio Episcopi, & quædam alia.

CAPUT IV.

De Censuris & Irregularitate in genere.

I.

Quid est Censura? ℞. Est pœna spiritualis & medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti & contumaci per potestatem

Ecclesiasticam aufertur usus quorundam bonorum spiritualium.

2. *Qualibus bonis privatur quis per Censuram?* ℟. Non privari bonis merè internis, uti sunt character, & potestas Ordinis, nec bonis propriis, & privatis, uti sunt Fides, Charitas & Gratia, &c. sed quibusdam externis & publicis, sive actionibus, quæ habent spiritualem aliquem effectum vel commodum; uti sunt, Sacrificium, Officium divinum, beneficium, administratio & susceptio Sacramentorum, indulgentiæ, publica Ecclesiæ suffragia, quia hæc, & non illa subsunt dispositioni Ecclesiæ.

3. *An nunquid per excommunicationem privatur quis etiam magnô bonô temporali, uti est convictus humanus?* ℟. Hanc pœnam esse tantùm secundariam.

4. *An ergo exilium, carcer, servitus, non sunt Censuræ?* ℟. Non esse, quia sunt pœnæ temporales. Unde etiam privatio beneficii, nisi adjunctam habeat suspensionem aliquam spiritualium actionum, censura non est.

5. *Degradatio & depositio súntne censuræ?* ℟. Non esse, quia quamvis sint pœna spiritualis, non tamen medicinalis, sed perpetua, & ob peccatum præteritum etiam emendatum, potest infligi.

6. *Cessatio à divinis éstne censura?* ℟. Non esse, quia non imponitur per modum medi-

cinæ ad tollendam contumaciam, sed ad propulsandam injuriam Ecclesiæ factam.

7. *Irregularitas éstne censura?* R. Non est, sive sit ex defectu, sive ex delicto; prior quidem non, quia non est pœna, sed tantùm impedimentum Canonicum; nec posterior, quia non irrogatur per modum pœnæ medicinalis, sed punitivæ, & ex se perpetuæ. Unde nec tollitur per absolutionem, sed per dispensationem.

8. *Quotuplex est censura?* R. Essentiali divisione est triplex: Excommunicatio, Suspensio, Interdictum.

9. *Quotuplex est accidentaliter?* R. Alia est à jure, alia ab homine; alia sententiæ latæ, alia ferendæ.

10. *Qui possunt ferre censuram?* R. Omnis ac solus Superior Ecclesiasticus, habens in foro externo seu contentioso jurisdictionem, sive ordinariam sive delegatam.

11. *In quos potest ferri censura?* R. In omnes & solos subditos alicui Superiori ecclesiastico, talem jurisdictionem habenti; quia subjectio & jurisdictio sunt correlativa.

Excommunicatio.

12. *Quid est Excommunicatio?* R. Est Censura, per quam quis privatur communione Ecclesiæ, id est, communibus Ecclesiæ bonis vel omnibus, vel aliquibus.

13.

13. *Quotuplex est Excommunicatio?* Resp. Duplex: Alia major, alia minor. Illa privat omnibus bonis communibus Ecclesiæ, hæc solùm participatione passiva Sacramentorum.

14. *Ob quam causam incurritur Excommunicatio minor?* ℞. Ob unicam, cùm quis communicat cum excommunicato excommunicatione majori, denuntiato, vel publico percussore Clerici.

15. *Ob quam causam incurritur excommunicatio major?* Resp. Causas excommunicationis majoris haberi in Catalog. Excommunicationum, in Bulla Cœnæ, & Edictis Episcoporum.

16. *Impeditne utraque Excommunicatio susceptionem omnium Sacramentorum?* Resp. Impedit. Primæ autem Tonsuræ susceptionem impedit sola major, quæ etiam impedit administrationem in Ordinibus jam susceptis.

Suspensio.

17. *Quid est suspensio?* ℞. Est Censura, vel pœna ecclesiastica, quâ Clericus privatur usu potestatis ei convenientis, aut ratione officii Clericalis, aut ratione beneficii, aut ratione utriusque, & hæc ultima est adæquata & plena suspensio.

18. *Quanam suspensio est Censura, & quæ*

pura

pura pœna? ℟. Est censura, si imponatur in medicinam, ut sic fidelis resipiscat ab inobedientia. Est verò pura pœna, si imponatur in vindictam delicti commissi.

19. *Quis potest sic suspendi?* Resp. Solus Clericus.

20. *Quando impedit suspensio susceptionem Ordinum, vel ministrationem in iis?* Resp. Quando est suspensio ab Ordine, vel quando est suspensio totalis. Eundem effectum habet à fortiori degradatio & depositio.

21. *An propter aliquod delictum suspensus per mensem Februarii anni bissextilis, possit celebrare Missam ultimâ die ejusdem mensis anni bissextilis?* Resp. In favorem suspensi dici posse, quòd mensis Februarius à jure determinatus intelligatur sine die bissextili, ac proinde elapsis tot diebus, quot aliàs habet Februarius, cessat pœna mensi alligata.

22. *An Sacerdos suspensus ob id, quòd vel ante ætatem, vel extra tempora promotus sit ad Sacerdotium, si in ordinatione cum Episcopo ordinante consecret, fiat irregularis?* Resp. Probabile esse, quòd non fiat, quia moraliter loquendo, hic actus non exercetur post ordinationem, cùm ordinatio moraliter ante finem Missæ non habeatur pro finita.

De-

Depositio & Degradatio.

23. *Quid est depositio & degradatio?* ℟. Depositionem genericè acceptam per nihil aliud differre à degradatione, quàm quòd illa latiùs pateat, quàm hæc, & si sit verbalis, vocatur simpliciter depositio; si sit realis, vocatur degradatio.

24. *Quid ergo est degradatio?* ℟. Est privatio executionis officiorum, & beneficiorum simpliciter, & in toto, & absque spe restitutionis, facta cum certa solennitate, & privatione Clericalis privilegii, ita, ut sæculari Curiæ subjiciatur.

25. *Quid autem est depositio verbalis?* ℟. Est similis privatio, sed sine dicta solennitate, vel relicto utroque privilegio Canonis & fori.

26. *Quomodo differunt depositio & degradatio à suspensione* ℟. Quòd illæ auferant ipsum jus radicale, & titulum beneficii, idque in perpetuum; suspensio non item, sed solùm fructum & usum.

Interdictum.

27. *Quid est Interdictum?* ℟. Regulariter est censura, prohibens fidelibus officiorum Divinorum celebrationem, Sacramentorum Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & Ordinum tam ministrationem, quàm susceptionem, & sepulturam Ecclesiasticam.

28. *Cur dixisti*: Regulariter? ℞. Quia sicut suspensio potest ferri, & ut Censura, & ut mera pœna in vindictam peccati commissi, ita & interdictum; quia autem interdictum vix unquam imponi solet ut mera pœna, ideo additum est *regulariter*.

29. *Quotuplex est interdictum?* ℞. Aliud est locale, aliud personale: Utrumque vel est generale, vel speciale.

30. *Quid est locale generale?* ℞. Cùm interdicitur tota Provincia, Regnum, Civitas, Castellum, & tunc nemo ibi ordinari, vel ministrare potest.

31. *Quid est interdictum locale speciale?* ℞. Cùm interdicitur tantùm una, vel plures Ecclesiæ unius loci, non omnes; intelliguntur autem etiam Capellæ.

32. *Quid est interdictum personale speciale?* ℞. Cùm aliqui vel una tantùm persona interdicitur.

33. *Quid est interdictum personale generale?* ℞. Quando omnes Personæ alicujus loci interdicuntur.

34. *Quomodo differt interdictum ab Excommunicatione?* ℞. Per hoc, quòd Excommunicatio privet quidem iisdem & aliis rebus, quibus Interdictum, sed præcisè, ut res sunt communes aliis fidelibus; Interdictum verò privet rebus sacris in jure expressis, ut sacræ sunt.

35. *Quomodo rursùs differt Interdictum à suspensione?* ℞. Per hoc, quòd quamvis suspen-

sio

ſio iiſdem privet ex parte, quibus Interdictum, tamen ſuſpenſio privat iis, prout ſunt propriæ ipſi ſuſpenſo. Interdictum verò privat iis, prout ſunt communes. *Ita Soarius de Cenſ. diſp. 32. ſect. 1.*

Irregularitas.

36. *Quid eſt irregularitas?* Reſp. Eſt impedimentum Canonicum, primariò & directè impediens Fideles à ſuſceptione Ordinum; ſecundariò autem & indirectè impediens ordinatum ab ejus uſu, & impediens item eoſdem à beneficiis, juriſdictionéque eccleſiaſtica.

37. *Quod eſt ſubjectum irregularitatis capax?* ℟. Imprimis debet eſſe capax Ordinis; deinde debet eſſe Juri Canonico ſubjectus. Hinc non baptizatus, fœmina, perpetuò amens, tanquam Ordinum incapaces, ſunt etiam incapaces Irregularitatis. Et Pontifex, quia non eſt ſubditus Juri Canonico, pariter capax non eſt.

38. *Quotuplex eſt Irregularitas?* ℟. Duplex. Una ex delicto, altera ex defectu.

39. *Qualis actus requiritur in ſubjecto ad irregularitatem ex delicto incurrendam?* ℟. Requiri actum externum, opere conſummatum, deliberatum, peccaminoſum, cognitum in ratione pœnæ.

40. *An actus externus occultiſſimus ſit capax irregularitatis?* ℟. Eſſe, quia hoc ipſo eſt de

se subjectus judicio Ecclesiæ. Contrarium tenent aliqui.

41. *Si quis lethale vulnus inflixit, sed mors secuta non est, censetúrne opere consummâsse, ac proinde incurrisse irregularitatem ex delicto?* ℞. Non censeri, quia non est actus in ea specie, sub qua prohibetur, perfectus.

42. *An qui tempore ebrietatis solitus occidere bibit ad ebrietatem, & in ea occidit, censeatur satis deliberatè occidisse, ut incurrat irregularitatem?* ℞. Affirmativè, si tunc prævidit se occisurum, quia fuit occisio satis deliberata; negativè verò, si non prævidit, ex opposita ratione.

43. *An etiam impubes occidens incurrat irregularitatem?* ℞. Ex plurium sententia, apud & cum Tamb. probabiliùs non incurrere, qui docent universaliter, pueros impuberes, quamvis rationis usum habentes, nullâ Censurâ aut pœnâ (Excommunicationem aliqui excipiunt) affici ab Ecclesia.

44. *An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur actus mortaliter peccaminosus?* ℞. Probabiliùs requiritur. *Vide Tamb. de irregul. c. 4. §. 4.*

45. *Quæ sunt irregularitates ex delicto?* Resp. Una est, ob iteratum Baptismum seriò & scienter.

46. *Quis incurrit hanc irregularitatem?* Resp. Et rebaptizatus, & rebaptizans; iste tamen si sit Clericus, tantùm partialiter in-

incurrit, quatenus ad altiorem Ordinem ascendere nequit; & si occultè rebaptizat, peccat quidem graviter, sed irregularitatem non incurrit, nisi solenniter baptizaverit, non Sacerdos. *Ex Cap. 1, & 2. de Cler. non ord.*

47. *Quæ est secunda Irregularitas ex delicto?* ℞. Ex Ordinum abusu.

48. *Quot modis hæc Irregularitas incurritur?* ℞. Tribus modis; Primò, qui furtivè, juxta aliquos, vel qui matrimoniô (quamvis solùm ratô) junctus suscipit Ordines extra casus jure expressos. Secundò, si quis Clericus carens Ordine aliquo, actum ejus Ordinis seriò, & scienter solenniter exercet. Tertiò, si quis Clericus violet Censuram, id est, cùm sit excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, exercet culpabiliter actus proprios Ordinum majorum.

49. *Quæ est tertia Irregularitas ex delicto?* Resp. Propter enormia crimina, si sint notoria & publica, v. gr. quæ à jure habent annexam infamiam, ut: Adulterium, Raptus, Incestus, Perjurium in judicio.

50. *Quæ est quarta Irregularitas ex delicto?* ℞. Ex injusta mutilatione, vel homicidio etiam indirectè tantùm voluntario, extenditúrque ad omnes, qui ad alterutrum, sive in bello injusto, sive extra illud, injustè concurrunt consulendo, mandando. Mu-

tilatio autem hìc intelligitur, quando à corpore separatur membrum aliquod principale, id est, pars corporis, quæ officium per se distinctum habet, ut: Pes, manus, oculus.

51. *Quæ sunt Irregularitates ex defectu?* ℞. Prima est ex defectu animæ, ut: Si sint amentes, phrænetici, arreptitii, epileptici, qui tamen si ordinati sunt, & intra annum eô morbô non laborârunt, præsumuntur liberati. Item illiterati, qui non habent doctrinam sufficientem. Denique Neophyti, seu recénter conversi, donec ab Episcopo judicentur sufficientes.

52. *An amentes, epileptici, &c. si semel tantùm fuerint correpti amentiâ, epilepsiâ, &c. hoc ipso sint perpetuò irregulares quoad suscipiendos Ordines?* Resp. Affirmativè cum communi *ex Cap. Maritum, dist. 33.* si hoc Cap. sit usu receptum, utì supponit Suarez *de Cens. disp. 51. sect. 1. num. 4.* tales proinde (ut idem ait) meritò non admittuntur ad Ordines, vel saltem desideratur Prælati approbatio. Imò num. 5. simpliciter asserit cum Navarro, ordinari non posse sine Papæ dispensatione.

53. *Quæ est secunda irregularitas ex defectu?* ℞. Ex defectu corporis, ut si propter eum ineptus sit ad exercitium Ordinis, cœcus, surdus, claudus, ita ut sine baculo nequeat ire ad Altare, careat manu, pollice,

indice, oculô ſiniſtrô. Si Ordinem nequit exercere ſine horrore, offenſione, aut ſcandalo aliorum, ut carens auribus, naſo, notabiliter gibboſus, leproſus, paralyticus. Si ſit hermaphroditus, monſtroſus, gigas, pigmæus, æthiops inter Europæos.

54. *Quæ eſt tertia irregularitas ex defectu?* R. Ex defectu natalium, quales ſunt omnes illegitimi, eò, quòd ratione originis reputentur viles.

55. *Quæ eſt quarta Irregularitas ex defectu?* Reſp. Ex defectu ætatis ad Ordines, de qua alibi dictum.

56. *Quæ eſt quinta Irregularias ex defectu?* Reſp. Ex defectu Sacramenti, ſive ſignificationis Matrimonii ratione Bigamiæ; Bigamia autem contrahitur, vel dum quis vivente, aut mortuâ primâ uxore cognitâ, ſecundam cognoſcit, etſi Matrimonium ſit invalidum. Vel qui viduam non virginem ducit & cognoſcit. Vel qui ducit uxorem priùs ab alio quomodocunque cognitam, & ipſe cognoſcit. Vel qui propriam uxorem cognoſcit, poſtquam ab alio per adulterium cognita fuit. Vel demùm, qui poſt ſolenne votum Caſtitatis de facto Matrimonium contrahit, & conſummat illud cum Virgine.

57. *Quæ eſt ſexta Irregularitas ex defectu?* Reſp. Ex infamia, ſive juris (quæ ex delicto proprio, vel Parentum, vel vili con-
di-

ditione personæ nascitur) sive facti, modò crimen publicum sit; ex occulto enim non oritur, si Homicidium, & Censuræ violationem excipias, juxta aliquorum sententiam.

58. *Quæ est septima irregularitas ex defectu?* ℞. Ex defectu libertatis, quem habent omnes servi propriè dicti, donec consequantur plenam libertatem. Item conjugati, nisi uxores consentiant, & castitatem voveant. Et Curiales, id est, curiæ sæculari obligati factô juramentô, vel stipendiô, vel Judices, Advocati, &c. quamdiu talia officia habent. Excipiuntur illi, qui habent specialem dispensationem Papæ pro talibus officiis, uti quidam Clerici in aulis Principum. Item hunc defectum libertatis habent milites, saltem quamdiu juramentô tenentur, thesaurarii & depositarii publici, & qui rempub. administrant; uti etiam apparitores, & similes, qui sæva, turpia exercuerunt, vel in causa sanguinis ministrârunt.

59. *Quæ est octava irregularitas ex defectu?* ℞. Ex defectu lenitatis, scilicet ex licita mutilatione. vel homicidio in bello justo, vel judicio, Et requiritur, ut occisio, vel mutilatio de facto sequatur.

60. *Cur hæc lenitas requiritur ab Ecclesia?* Resp. Quia Sacerdos gerit personam Christi, qui, utpote lenissimus, neminem unquam læsit.

61. *Incurritne hanc irregularitatem, qui mutilat, vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitæ, castitatis, &c.* R. Negativè, quia in Jure non statuitur Irregularitas hæc, nisi ob homicidium in bello justo, vel judicio.

62. *Qui incurrunt hanc irregularitatem in bello justo?* R. Qui mutilat, vel occidit propriâ manu, non autem Clericus adhortans ad fortiter pugnandum in bello justo. (Secùs tamen, si ad occidendum hunc vel illum in particulari.) Idem est de Duce exercitûs, Tubicine, &c.

63. *Qui incurrunt illam in judicio?* Resp. Qui ad mortem, vel mutilationem cooperantur, *activè, & efficaciter, & proximè per actionem ex natura sua ad id ordinatam.*

64. *Qui censentur hi cooperatores?* R. Judex ferens sententiam, Notarius eam scribens, ministri exequentes, testes, &c.

65. *Cur additur: Activè?* R. Id est ex parte occidentium, quia non fit irregularis, qui se habet tantùm passivè, & ex parte ejus, qui occiditur, ut Confessarius hortans ad fatendum veritatem, vel acquiescendum sententiæ justæ, quam non potest differre, nisi appellatione injustâ.

66. *Cur additur: Efficaciter?* Resp. Quia adjuvans, v. g. ferens ligna, ut comburatur antè jam suffocatus, non fit irregularis, nec

assistens supplicio, si suâ præsentiâ in illud non influat.

67. *Cur dicitur: Proximè?* ℞. Quia qui remotè tantùm influunt, non fiunt irregulares; ut qui gladios faciunt, aut vendunt; Legislator, leges capitales condens; Concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores; Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, Judicem sine acceptione personarum fungi debere suo officio. Quia hi omnes sunt tantùm causa remota.

68. *At, quid si aliquid facerent, aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus sequeretur, aut acceleraretur?* ℞. Hos futuros proximè cooperatores, proindéque irregulares; ut si quis efficaciter urgeret reum, ut scalam ascendat, vel ad hoc illum juvaret; Vel si judici in particulari responderet, hunc esse plectendum.

69. *Possúntne tamen proximè cooperantes aliquando excusari ab irregularitate?* ℞. Possunt, si fiat cum indeliberatione, aut cum semiplena tantùm advertentia, v. gr. si dicat Confessarius: *Properemus*, aut instiget jumentum, quo reus vehitur. Item, si cooperatio sit valde exigua; ut si jubeat reum adhuc unum gradum conscendere; quia minimum reputatur pro nihilo.


70. *Quid tamen est in hac causa probabilitatis favorabilis?* Resp. Suarez, Regin.

Laym. Turr. Hurt. Banny, censent, ex homicidio neminem fieri irregularem ex defectu, nisi concurrat ut publicus minister justitiæ, sive ad causæ probationem, sive executionem; vel ut privatus injustè, & cum peccato.

71. *Cur tandem dicitur n. 63. per actionem ex natura sua ordinatam* ? ℞. Ideo, quia per accidens secutus effectus, non imputatur danti operam rei, per se licitæ. Hinc non fit irregularis, dicens carnifici: Nemo te impedit facere tuum officium, ego meum feci. Nec Judices Ecclesiastici, degradatum tradentes brachio sæculari; nec Clerici, accusantes aliquem in causa criminali, modò expresse protestentur, se non intendere, ut puniatur pœna sanguinis, sed tantùm ut sibi, vel suis satisfiat; vel impediantur mala, sibi & aliis impendentia.



PARS



PARS III.

De Diaconatu, & ad eum pertinentibus.

CAPUT I.

De Diaconatu.

1.

Q*Uid est Diaconatus?* ℞. Est Ordo sacer Ecclesiasticus, quô confertur potestas proximè assistendi Presbytero in ministerio Altaris, legendíque Evangelium in Missa.

2. *Quomodo ordinandus in Diaconum debet accedere ordinationem?* ℞. Debet esse initiatus Minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu, examinatus & approbatus pro Diaconatu, benè dispositus ad sacram Communionem, indutus Amictu, Albâ, Cingulô, & Manipulô, Dalmaticam super brachium sinistrum, & stolam manu sinistrâ, dextrâ verò candelam offerendam Episcopo gestans, & habens tonsuram patentem.

3. *Quæ est materia Diaconatûs?* ℟. Veriùs, esse duplicem partialem materiam. Unam ex *Decreto fidei, ab Eugenio in Conc. Flor. facto*, traditionem Libri Evangeliorum. Alteram ex *Conc. Carthaginen. 4. c. 4.* Impositionem manus dextræ ab Episcopo factam super caput Ordinandi.

4. *Quæ est forma ad traditionem libri Evangeliorum proferenda ab Episcopo?* ℟. Est hæc: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

5. *Quæ est altera forma?* ℟. Hæc: *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini.*

6. *An sit valida ordinatio Diaconi, si non tradatur illi liber Missalis, (uti solet) sed alius continens Evangelia?* ℟. Esse, quia adsunt Evangelia.

7. *Quid si tradatur alius liber, v. gr. Exorcismorum, vel Concilium Tridentinum?* ℟. Non fore validam; ob defectum enim Evangeliorum non verificaretur forma.

8. *Quid si tota sacra Scriptura traderetur?* Resp. Validam futuram, quia adsunt Evangelia.

9. *Quid si autem solum Vetus Testamentum traderetur?* ℟. Non fore validam, quia in eo non sunt Evangelia.

10. *Quid*

10. *Quid si traderetur liber, continens solùm Acta Apostolorum, Epistolas, & Apocalypsin?* ℞. Cum Tamb. dubiam fore ordinationem, & sub conditione repetendam; quamvis enim in Actibus, aliísque prædictis libris adsit doctrina Evangelii, non tamen sunt Evangelia.

11. *Quomodo liber Evangeliorum potest esse materia remota hujus Ordinis, cùm temporibus Apostolorum talis liber non fuerit, & tamen fuerint Diaconi ordinati, uti fuit S. Stephanus?* ℞. Christum non determinâsse in individuo materias singulorum Ordinum, sed aliquorum tantùm in genere, mandando Apostolis, ut in particulari usurparent cæremoniam exteriorem, quâ pro diversitate temporum significarent munus, atque officium cujusque Ordinis. Ac proinde Apostoli contulerunt ab initio Subdiaconatum, & Diaconatum cum materia nobis quidem ignota, sed pro tunc significante eandem potestatem, quæ de facto significatur.

12. *Quod est officium Diaconi?* Resp. Imprimis: Est Sacerdoti sacrificanti immediatè assistere, ministrare illi Hostiam in patena, & Vinum in calice tradendo, cúmque adjuvare, portando etiam Corpus Christi, si opus sit.

13. *Quod est officium ulteriùs?* ℞. Canere solenniter Evangelium in Missa, id est, cum veste propria, & ex officio.

14. *Quod aliud est Diaconi officium?* ℟. Est Corpus & Sanguinem Christi, ex commissione Sacerdotis seu Episcopi, Fidelibus ministrare, seu dispensare; quod quidem hodie in usu non est, nisi in maxima necessitate, cùm sit copia Sacerdotum.

15. *Quid adhuc?* Resp. Solenniter baptizare ex commissione Episcopi, vel Sacerdotis.

16. *Quid ultra?* Resp. Ex commissione Sacerdotis, vel in necessitate solenniter prædicare.

17. *Quid denique?* ℟. Sunt & alia ejus officia ex Ecclesiæ constitutione, ut: Baptizandos instruere, purgare, vestibus exspoliare, Episcopo prædicanti assistere, eúmque custodire, & tanquam ejus oculum populi mores pervestigare, eíque, ut eos perficiat, vel corrigat, referre; Bona Ecclesiæ dispensare, eleëmosynas distribuere.

18. *An Diaconus possit etiam ministrare Extremam Unctionem, ex commissione Parochi?* ℟. Non posse, quia id nullô jure ipsi conceditur.

19. *An Diacono liceat deferre Pyxidem, in qua sunt sacræ particulæ, de uno Altari ad alterum?* Resp. *Cum Tamb. ex S. Thoma*, licere; quia Diaconus debet habere potestatem super Christi Corpus in sacris vasis contentum, & ex quotidiana praxi Diaconus pro solenni processione vel expositione, pyxi-

pyxidem, seu lunulam, in quibus est Eucharistia, educit è sacrario, vel à sublimi loco sumit, adducítque in manus Sacerdotis.

20. *Quid est solenniter canere Evangelium in Missa?* ℟. Est canere cum propria veste Diaconi.

21. *Quæ est illa propria vestis?* Resp. Est stola à sinistro humero per pectus, & deorsum ad latus dextrum, sub brachio dextro ducta.

22. *An ergo Subdiaconus non potest canere solenniter Evangelium in Missa?* ℟. Non posse cum tali solennitate, hoc est, cum veste propria Diaconi.

23. *Potéstne Diaconus absente Parocho, quamvis non committente, dispensare Eucharistiam in casu necessitatis?* ℟. Posse, quia est tacita voluntas.

24. *Qualis autem hodie requiritur necessitas ad hoc munus obeundum?* Resp. Sufficere necessitatem agonizantis. Quintanad. extendit etiam ad majora Festa absente Sacerdote.

25. *An Diaconus possit manu propriâ porrigere Eucharistiam Sacerdoti infirmo?* Resp. Ipsum Sacerdotem debere Eucharistiam de pyxide accipere, si possit, & sumere, cùm sit Sacerdos. Si autem non possit, porrigat illi Diaconus.

26. *Quid est solenniter baptizare?* ℟. Est

baptizare cum solennitatibus & cæremoniis ab Ecclesia præscriptis in Rituali.

27. *An possit Parochus pro libitu committere Baptismum Diacono?* Resp. Aliqui putant, solùm in casu extremæ necessitatis; judico autem, verius esse, quòd possit ex alia causa rationabili, & quidem hac ætate; aliàs olim erat facilior hæc commissio ob defectum Sacerdotum, quorum numerus hodie crevit.

28. *Potéstne Diaconus etiam sine commissione baptizare solenniter Parocho absente?* ℟. Probabile esse, quòd possit proprio jure, etiamsi non sit extrema necessitas, dummodo sit non levis.

29. *Quid, si Diaconus constituatur Parochus. potéstne sine ulteriori commissione suos Parochianos solenniter baptizare?* Resp. Videri in tali majorem potestatem agnoscendam, quàm in simplici Diacono; ac proinde hanc potestatem illi negandam non esse, sicut tunc potest solenniter prædicare ex officio.

30. *Si Diaconus extra casus dictos, sine commissione Sacerdotis, vel Episcopi, baptizet solenniter, incurrítne aliquam pœnam?* ℟. Incurrere Irregularitatem. *Ex Cap. 1. de Cler. non ord. mini.*

31. *Per quam materiam & formam confertur Diacono hac potestas dispensandi Eucharistiam, solenniter baptizandi ex Sacer-*

dotis deputatione, & sacrificanti ministrandi? Resp. Per manus impositionem, & ejus formam.

32. *Quibus vestibus debet esse indutus Diaconus, dum solenniter baptizat, aut defert Sacramentum Eucharistiæ ex commissione Parochi?* Resp. Aliquos judicare, quòd superpelliceo & stola per transversum posita ad distinctionem à Sacerdote, aliàs evasurum illum irregularem, si stolam gestaret, sicut Sacerdos.

33. *Quid est solenniter prædicare?* ℟. Cum stola & superpelliceo ex Cathedra.

34. *Estne hoc munus magis proprium Diaconi, quàm Subdiaconi?* ℟. Ita mihi videri cum Tamb. Neque enim putandum est, tradi illi Evangelii librum, ut eum solùm legat, verùm etiam, ut, si aliàs est idoneus, illud fidelibus evulget.

35. *Fortè tantùm licebit id in penuria Sacerdotum, quæ hodiè raro accidit?* ℟. Tamburino durum videtur, Ecclesiam velle prohibere illis officium, quod ex propria ordinatione ipsis competit.

36. *Quid est Evangelium?* ℟. Est historia vitæ & mortis Domini nostri JESU Christi, conscripta per Evangelistas, Canonicos, & probatos ab Ecclesia.

37. *Potéstne Diaconus etiam assistere matrimonio ex commissione Parochi?* ℟. Non posse, quia *Tridentinum sess. 24. cap. 1. de*

Reform. hoc munus committit solùm Parocho, vel alteri *Sacerdoti*, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia.

38. *Si ergo Diaconus sit Parochus, poteritne ex officio assistere matrimonio?* ℟. In eo casu posse; quia verè erit Parochus.

39. *An saltem eo casu possit Diacono Parocho committi assistentia hac?* ℟. Non posse, quia Trident. cit. commissionem vult fieri Sacerdoti.

40. *An possit Pontifex ordinationem Diaconi delegare simplici Sacerdoti?* ℟. Juxta communem apud Tiberium, non posse; quia nunquam legitur, hanc facultatem delegatam esse. Quamvis Vasquez & alii dicant, privilegium datum esse Abbatibus Cistercienfibus, de quo dubitat Coninck.

41. *Quæ ætas requiritur ad Diaconatum?* ℟. Annus vigesimus tertius inchoatus, *ex Trid. sess. 23. c. 12. de reform.*

42. *Habétne Diaconus specialem aliquam obligationem sibi propriam?* Resp. Nullam ultra eas, quas habet Subdiaconus, videlicet ad castitatem, Horas Canonicas, Habitum & Tonsuram.

43. *Si quis Subdiaconatu invalidè suscepto, fiat Diaconus, obligatúrne voto castitatis?* ℟. Obligari, quia illud est annexum singulis sacris Ordinibus.

44. *Qui ergo est Religiosus Subdiaconus, & Diaconus, peccátque contra castitatem, pec-*

ca-

cabitne triplici peccato? ℟. Peccabit uno peccato, triplici titulo vetito, quia singula vota eandem actionem ex eodem Religionis motivo prohibent.

45. *Obligatúrne Diaconus exercere suum officium?* ℟. Non videri esse specialem obligationem, nisi fortè alicui Ecclesiæ adscribatur, ut inserviat.

46. *Peccátne mortaliter, si exercet suum munus in statu peccati mortalis?* ℟. Non peccare, quia hæ actiones non sunt tam sacræ, sicut Sacramentales.

47. *Anne hoc verum est etiam de dispensatione Eucharistiæ?* ℟. Etiam, ex communi opinione.

48. *Quid habet plus potestatis Diaconus in recitatione Breviarii, quàm Subdiaconus?* ℟. Hoc, quòd ante orationes dicat, *Dominus vobiscum.*

49. *Potéstne hunc versum dicere, etiam præsente Sacerdote?* ℟. Juxta Rubricas non posse, nisi de Sacerdotis licentia.

50. *Debéntne etiam Diaconi habere testimonium bonæ vitæ?* ℟. Debent. Ex *Trid. sess.* 23. *cap.* 13. *de reform.*

51. *Quantum interstitium requiritur inter susceptionem Subdiaconatûs, & Diaconatûs?* Resp. Requiri ex *Trid. cit.* integrum annum ecclesiasticum.

52. *An Diaconus habens duo domicilia in diversis Diœcesibus, possit Diaconatum accipere*

ab altero Episcopo, quàm Subdiaconatum acceperit? ℟. Posse, quia utrobique ordinatur a proprio Episcopo.

53. *Si quis titulum, quem pro Subdiaconatu habuit, perdidisset, deberétne alium procurare pro Diaconatu?* ℟. Deberet providere de alio, quia aliàs ordinaretur in sacris sine titulo contra Tridentinum.

54. *Quæ scientia requiritur in Diacono?* ℟. Ex dispositione Tridentini in genere eadem, quæ in Subdiacono, ut sit in litteris, & iis, quæ ad Ordinem suum exercendum pertinent, instructus. In specie tamen manifestum videtur, plus scientiæ requiri in Diacono, siquidem ejus munia etiam ad proximum juvandum extenduntur. Et potest examinari etiam de recitatione Officii Divini.

CAPUT II.

De assistentia Diaconi Sacerdoti Missam celebranti cum Subdiacono.

1.

QUibus vestibus debet esse indutus Diaconus, dum Sacerdoti sacrificanti ministrat? ℟. Amictu, Albâ, Cingulô, Manipulô, Stolâ à sinistro humero ad latus dextrum ductâ, & Dalmaticâ.

2. Quid

2. *Quid significat Dalmatica?* ℟. Significat erga proximum lætitiam & charitatem.

3. *Diaconus dum Stolam induit, debétne osculari Crucem in medio positam?* ℟. Debet, ex Gavanto.

4. *Quomodo procedit Diaconus ad Altare cum Sacerdote ad sacrificandum?* ℟. Præcedente Subdiacono, sequitur Diaconus, uterque coopertô capite, & junctis manibus; ac deinde Sacerdos; nisi hic pluviali sit indutus, ad aspersionem aquæ benedictæ faciendam, tunc enim pares procedunt cum celebrante, tenentes utrinque alas pluvialis.

5. *Ubi stat Diaconus, dum celebrans facit confessionem?* ℟. Penes celebrantem à dextris, cum quo dicit alternatim post Antiphonam: *Introibo:* Psalmum: *Judica*, & postea *Confessionem* correspondente Subdiacono.

6. *Quomodo dicitur Confessio à Diacono simul & Subdiacono?* ℟. Corpore antrorsum inclinatô, dumque dicunt: *Tibi Pater, & te Pater*, aliquantum convertuntur ad celebrantem. Tenebunt autem manus semper junctas ante pectus, nisi quando pectus percutient, aliàs signa Crucis semper facient simul cum celebrante.

7. *Quomodo ascendunt facta Confessione Diaconus & Subdiaconus cum Sacerdote ad Altare?* ℟. Ille vadit à dextris, hic à sinistris; Illo sinistra manu, hoc dextra vestem & albam anteriorem celebrantis paululùm elevante.

8. Oscu-

8. *Osculantúrne Altare simul cum Sacerdote?* ℟. Non, neque tangunt Altare, sed suo quisque loco genuflectit, & statim surgit, idque semper observandum.

9. *Quid post osculum primum Altaris agit Diaconus & Subdiaconus?* Resp. Subdiacono stante à sinistris Celebrantis, Diaconus ministrans Celebranti naviculam apertam, parùm inclinatus versùs Celebrantem, dicit: *Benedicite Pater Reverende*, & osculatur cochlear, & manum Celebrantis, antè & post. Postea Diaconus dimissa navicula, accipit thuribulum à thuriferario, & dat celebranti, osculatâ priùs catenularum summitate, & manu illius dextrâ. Diaconus & Subdiaconus hinc inde assistunt celebranti, dum incensat; & cùm transeunt ante crucem, semper genuflectunt, quamvis non adsit tabernaculum, ex mente *Gavanti*. Et finitâ incensatione ad Cornu Epistolæ, celebrans reddit thuribulum Diacono, à quo ipse solus incensatur.

10. *Post hanc incensationem, quomodo inserviunt Diaconus & Subdiaconus?* Resp. Cùm Celebrans legit Introitum, & Kyrie eleyson, Diaconus stat à dextris Celebrantis, & Subdiaconus à dextris Diaconi in Cornu Epistolæ.

11. *Quid dum* Gloria *intonatur?* ℟. Diaconus & Subdiaconus, unus post alium stant à tergo Celebrantis; postea ascendunt ad

Altare, & hinc inde Diaconus à dextris, Subdiaconus à sinistris cum celebrante Hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem. Quod etiam servatur, cùm dicitur *Credo.* Et cùm dicitur: *Dominus vobiscum*, *Oratio*, *Præfatio*, *&* *Pater noster*, Diaconus & Subdiaconus stant unus post alterum à tergo celebrantis.

12. *Si dicendum est:* Flectamus genua, *quis illud dicit?* ℟. Dicto à Celebrante: *Oremus*, Diaconus dicit: *Flectamus genua*, & Subdiaconus: *Levate.* Illo primùm genuflectente, hoc primùm surgente.

13. *Quid post Orationes dictas agit Diaconus?* ℟. Celebranti submissâ voce legenti Epistolam, Graduale, Tractum, &c. assistit ad dextram.

14. *Quid verò Subdiaconus?* ℟. Ille circa finem ultimæ orationis, accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, & factâ Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epistolæ contra Altare, & cantat Epistolam, qua decantata facta iterum genuflexione in medio, redit ad celebrantem, & genuflectens osculatur ejus manum, & ab eo benedicitur, præterquam in Missis defunctorum, in quibus Ministri nunquam osculantur Sacerdotis manum, neque rem, quæ porrigitur.

15. *Quid agunt post Epistolam?* ℟. Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert

ad

ad cornu Evangelii in Altare, & ibi ministrat celebranti legenti Evangelium, manente Diacono ad Cornu Epistolæ.

16. *Quid post lectum à Celebrante Evangelium?* Resp. Celebrans delatô per Diaconum librô Evangeliorum ad Altare, imponit incensum ad thuribulum, sicut priùs. Postea Diaconus genuflexus ante Altare dicit: *Munda cor meum, &c.* & accipiens librum Evangeliorum de Altari, petit Benedictionem à Celebrante, similiter genuflexus in superiori gradu Altaris, osculatâ ejus manu, exceptâ Missâ de Requiem, in qua & alia certa puncta excepta habentur in Missali.

17. *Quomodo vadit ad cantandum Evangelium?* ℟. Præcedentibus thuriferariis, & duobus Acolythis cum candelis accensis de Credentia sumptis, procedit cum Subdiacono à sinistris ad locum Evangelii contra Altare, versus populum.

18. *Quo ritu cantat Evangelium?* ℟. Ibi Subdiacono librum tenente medio inter duos Acolytos tenentes candelabra accensa, dicit: *Dominus vobiscum*, junctis manibus. Cùm dicit: *Sequentia*, signat librum in principio Evangelii. frontem, os, & pectus, postea ter librum incensat, hoc est, in medio, à dextris, & à sinistris, & prosequitur Evangelium, junctis manibus.

19. Quid

19. *Quid finito Evangelio?* ℟. Subdiaconus defert Evangelium osculandum celebranti, qui factô libri osculô, à Diacono incensatur.

20. *Quid sub* Credo? ℟. Idem servandum, quod sub *Gloria* dictum. Et postquam cantatum fuit: *Et incarnatus est*, Diaconus acceptâ Bursâ de Credentia, ambabus manibus eam defert elevatam, cum solitis reverentiis ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, & revertitur ad Celebrantem. Dum verò non dicitur *Credo*, Subdiaconus defert Bursam simul cum Calice, uti dicetur.

21. *Post* Credo *dictô* Oremus, *quid agitur?* ℟. Diaconus & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ, Diaconus amovet Calicem, si est in Altari; vel si est in Credentia, accipit eum de manu Subdiaconi.

22. *Subdiaconus quomodo defert Calicem de Credentia ad Altare?* ℟. Defert Calicem cum patena & hostia, coopertum pallâ, & velo à collo sibi pendente, manu sinistrâ tenens, & alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat.

23. *Accepto calice quid agitur?* ℟. Diaconus calicem detegit, & dat patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manum dextram. Subdiaconus extergit Calicem purificatoriô. Diaconus acceptâ ampullâ vini de ma-

manu Subdiaconi, imponit vinum in calice. Subdiaconus interim, ampullam aquæ ostendens celebranti, dicit: *Benedicite Pater reverende.* Et interim, dum celebrans benedicit, infundit paulùm aquæ in calicem; Diaconus illum celebranti dat, & pedem calicis tangens, seu brachium dextrum celebrantis sustentans, cum eo dicit: *Offerimus tibi Domine, &c.* Quem postea positum in Altari ut suprà, pallâ cooperit.

24. *Quid ultrà hîc agit Diaconus?* Resp. Subdiacono stanti in cornu Epistolæ, ponit in dextra manu patenam, quam cooperit extremitate veli, ab ejus humero pendentis, qui vadit post celebrantem ante medium Altaris, & factâ genuflexione, ibi stat, sustinens eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicæ. Excipitur Missa Defunctorum, & dies Parasceves.

25. *Peracto Offertorio, Diaconus quid agit?* ℟. Dicto *Veni Sanctificator, &c.* Diaconus ministrat, ut suprà, naviculam, dicendo *Benedicite.* Dum celebrans oblata incensat, ille tenet pedem calicis manu dextra. In incensatione etiam semper assistit Diaconus. Et dum incensatur Crux, amovet calicem ad partem Epistolæ, rursusque reponit; ac finita incensatione à celebrante, Diaconus illum incensat in cornu Epistolæ, ac postea Subdiaconum patenam tenentem; ipse verò Diaconus incensatur à thuriferario.

26. *Quid ad* Orate Fratres? ℞. Diaconus in ſupremo Altaris gradu cum Subdiacono flectit, & reſpondent: *Suſcipiat, &c.* vel occupato Diacono ſolus Subdiaconus.

27. *Quid ſub Præfatione?* ℞. Stant retrò poſt celebrantem, & paulò antè quàm dicatur *Sanctus*, accedunt ad Altare, ubi cum celebrante hinc inde ſtantes dicunt, *Sanctus, &c.* uſque ad Canonem.

28. *Quid dum Canon dicitur?* ℞. Tunc Diaconus accedit ad ſiniſtram celebrantis, aſſiſtens illi, niſi alius adſit Sacerdos; tunc enim ipſe ſtabit ad dextram aliquantum poſt celebrantem. Subdiaconus verò redit ad ſuam priorem ſtationem.

29. *Quid dum Celebrans dicit:* Quam oblationem? ℞. Diaconus accedit ad ejus dextram, & ibi in ſuperiori gradu Altaris genuflexus, cùm Sacramentum elevatur, fimbriam planetæ elevat, & quando opus eſt, ſe erigens calicem diſcooperit, & cooperit, & cum celebrante genuflectit, Subdiaconô in loco ſuo genuflectente. Repoſitô calice à celebrante poſt elevationem, Diaconus redit ad librum, niſi alius aſsiſtat.

30. *Quid dum celebrans dicit:* Per quem hæc omnia? &c. ℞. Tunc Diaconus factâ Sacramento genuflexione, accedit ad dextram celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit calicem, cum celebrante adorat, cooperit, & iterum genuflectit.

31. *Quid*

31. *Quid, dum dicitur* Pater noster? ℟. Dum illud incipit, Diaconus vadit retrò post celebrantem, factâ priùs Sacramento genuflexione, statque ibi, donec dicitur Oratio Dominica.

32. *Quid circa finem Orationis Dominicæ?* ℟. Dum dicitur: *Et dimitte nobis debita nostra*, Diaconus factâ, ubi stetit, genuflexione, vadit ad dextram celebrantis, & Subdiaconus circa finem orationis Dominicæ, factâ item genuflexione, revertitur ad Altare, & stans in cornu Epistolæ, porrigit patenam Diacono, qui eam discooperit, & purificatoriô abstergens, dat celebranti, manum ejus osculando, & quando opus est, discooperit, & cooperit calicem, & cum celebrante adorat.

33. *Subdiaconus redditâ patenâ quò vadit?* Resp. Depositô etiam velô genuflectit, & descendit retrò post celebrantem, & cùm dicitur *Pax Domini, &c.* iterum genuflectens accedit ad sinistram celebrantis, & simul dicunt: *Agnus DEI*; deinde factâ ibidem Sacramento genuflexione, redit post celebrantem.

34. *Quid autem tunc Diaconus?* ℟. Is à dextris genuflexus expectat pacem, & cùm celebrans osculatur Altare, ipse se erigens, simul osculatur illud extra Corporale, & à celebrante dicente: *Pax tecum*, complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem

ap-

appropinquantibus, & ei respondet: *Et cum spiritu tuo.*

35. *Diaconus cui dicit pacem?* ℟. Acceptâ pace, iterum adorato Sacramento, vertit se ad Subdiaconum, retrò post celebrantem, dat ei pacem, & statim vadit ad librum.

36. *Subdiaconus quibus dat pacem?* Resp. Acceptâ pace à Diacono, & factâ Altari genuflexione, comitatus ab Acolyto, vadit ad Chorum, & dat pacem primò cujuslibet Ordinis dignioribus priùs; deinde minùs dignis, & reversus ad Altare, factâ genuflexione, dat pacem Acolyto, & iste reliquis. Tum Subdiaconus vadit ad dextram celebrantis, & quando opus est, discooperit calicem, accipit ampullam vini, & infundit, quando celebrans vult purificare. Priùs autem, dum celebrans communicat, stat ibidem, & Diaconus ad librum, profundè inclinati versùs Altare.

37. *Quid agit Diaconus peractâ Communione?* ℟. Defert librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retrò post celebrantem.

38. *Quid autem Subdiaconus?* ℟. Vadit ad cornu Evangelii, ubi calicem mundat, aptat cum purificatorio, patenâ & pallâ cooperit, plicat corporale, reponit in Bursam, & illam ponit super Calicem coopertum velô, quem collocat super Altare, vel Credentia, ut priùs; postea redit ad locum suum retrò post Diaconum.

39. *In Quadragesima quis dicit :* Humiliate capita vestra DEO? ℟. Postquam Celebrans dixit : *Oremus*, Diaconus vertens se ad populum junctis manibus dicit : *Humiliate, &c.*

40. *Quomodo dicitur :* Ite Missa est ? ℟. Postquam Celebrans vertit se ad populum, Diaconus cum eo versus ad populum cantat: *Ite Missa est*, dum *Gloria* dictum est in Missa, vel *Benedicamus Domino*, facie ad Altare versa.

41. *Estne certa aliqua Regula, quando dicendum sit* Gloria *in Missa correspondente Breviario ?* Resp. Quandocunque in Horis Canonicis dicitur : *Te DEUM laudamus*, tunc in Missa correspondente Officio dicitur, *Gloria*, exceptâ Feriâ quintâ Cœnæ Domini, & Sabbathô sanctô, in quibus in Missa dicitur *Gloria*, quamvis in Officio non dicatur *Te Deum.*

42. *Quid post :* Ite Missa est, *aut* Benedicamus Domino ? ℟. Subdiaconus ministrat librum Celebranti pro Evangelio, si opus est, quo finito, discedunt simul ab Altari ad Sacristiam eodem ordine, quo exiverant.

 (†) 

CA-

CAPUT III.

Quæstiones Miscellaneæ pro Diaconis.

I.

QUid est Prædicatio? ℟. Est Ars, quâ Prædicator populum informat ad habendos bonos mores, & ad evitandos malos.

2. *Quâ ratione informandus est sic populus?* ℟. Excitando potissimùm ad amorem finis ultimi, & mediorum, quæ ad eum conducunt, prout traduntur in Theologia practica morali.

Finis ultimus Hominis.

3. *Quis est ultimus finis hominis, propter quem creatus est?* Resp. Videre DEUM facie ad faciem, cum ejusdem amore ac glorificatione.

4. *Consistitne in hoc fine beatitudo hominis?* Resp. Omninò, quia eô adeptô verè beatus est.

5. *An ergo nullum objectum creatum beare hominem potest?* Resp. Nullâ ratione, quia Beatitudo satiativa esse debet appetitûs rationalis, qualis nulla creatura esse potest.

6. *In quo consistit beatitudo formalis?* ℞. Quoad essentialem discrepant inter se Theologi, aliis eam in sola visione Dei, aliis in solo amore, aliis in utroque constituentibus. Illud certum est apud omnes, unum sine altero dari non posse.

7. *Debétne Beatitudo necessariò perpetua esse?* ℞. Nisi perpetua sit, non potest quietare animum, haberétque hoc ipso aliquid mali admixtum, adeoque non bearet.

8. *Estne visio beatificans omnium perfectionum divinarum, vel sufficeret etiam unius?* ℞. Esse visionem Dei, sicut est in se. Si tamen dari potest visio intuitiva præcisiva, non mihi persuadeo, non suffecturam, etiam unius perfectionis visionem.

9. *Estne visio beatifica DEI intellectualis, vel corporea?* ℞. Oculum corporeum nulla vi elevari posse ad videndum DEUM, debet proinde esse intellectualis.

10. *Estne visio hæc intellectualis naturalis?* ℞. Esse in substantia supernaturalem, ad quam intellectus elevatur per lumen gloriæ sibi infusum.

11. *Estne hæc Beatitudo æqualis in omnibus Beatis?* ℞. Esse inæqualem pro inæqualitate meritorum.

12. *Estne visio & amor DEI tota hominis beatitudo?* Resp. Præter hanc beatitudinem Animæ, dari etiam Beatitudinem Corporis.

13. *Quæ est illa Beatitudo Corporis?* ℞. Est concursus quatuor nobilissimarum qualitatum, quæ dotes corporis gloriosi nuncupantur.

14. *Quæ sunt illæ dotes?* ℞. Est *Impassibilitas*, quâ corpus redditur expers omnis pœnæ & doloris. *Claritas*, quâ fulgebit sicut Sol. *Agilitas*, quâ movebitur celerrimè pro beneplacito Animæ. *Subtilitas*, quâ poterit penetrare quæcunque alia corpora, sicut radius Solis penetrat corpora perlucida.

15. *Quibus mediis assequuntur homines hanc beatitudinem?* ℞. Aliqui solius Christi meritis, ut infantes baptizati; alii insuper mediis bonis operibus, juxta *Matthæi Cap. 9. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

16. *Cur exigit DEUS opera bona ad consequendam salutem?* Resp. Quia conveniens erat, ut homo libertate præditus, per proprias humanas actiones, se ad eam disponeret.

Actus Humani.

17. *Quid est actus humanus?* ℞. Est actio voluntatis liberæ ex deliberato judicio hominis procedens.

18. *Estne aliqua differentia inter actionem hominis, & actionem humanam?* Resp. Est omninò, quia actio hominis est quæcunque actio ab homine procedens, sive libera

sit, sive necessaria, sive cum, sive sine deliberatione procedens. Actio verò humana illa sola dicitur, quæ scienter & volenter ab homine procedit.

19. *Quotuplices sunt actiones humanæ in genere?* ℞. Sunt vel bonæ, vel malæ, & ab aliquibus valde probabiliter admittuntur etiam in individuo indifferentes, quæ nec bonæ, nec malæ sunt.

20. *Unde habetur bonitas, vel malitia actuum humanorum?* ℞. Bonæ sunt, quæ sunt conformes naturæ rationali, quà tali; malæ, quæ sunt eidem difformes.

21. *Conducitne quilibet actus bonus ad vitam æternam?* Resp. Cùm beatitudo nostra sit supernaturalis, necessarium est, actum ejus meritorium etiam esse supernaturalem; siquidem ex doctrina Fidei, nihil conducens ad vitam æternam, possumus viribus propriis solis agere, ac proinde actus naturales, quamvis honesti, conducere ad eam non possunt.

Peccatum.

22. *Quid est peccatum?* Resp. Juxta receptam Augustini definitionem: Est *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam DEI.*

23. *Quæ est differentia peccati Theologici à Philosophico?* Resp. *Theologicum* vocatur, quod

quod committitur cum notitia DEI, & disconvenientiæ actionis cum lege DEI prohibente; *Philosophicum* verò, quod committitur præcisè cum advertentia difformitatis operis cum natura rationali, quamvis DEUS ignoraretur.

24. *Quid est peccatum originale, quid personale?* Resp. Originale est prævaricatio legis Divinæ de non gustando fructu arboris scientiæ boni & mali facta ab Adamo, & in posteros per transfusionem nostrarum voluntatum in ejus voluntatem derivata. Personale est, quod propria cujusque voluntate committitur.

25. *Quid est peccatum commissionis, quid omissionis?* ℞. Commissionis est, quô positivè aliquid agitur contra Legem Divinam prohibentem. Omissionis, quô omittitur actio Lege Divinâ præcepta.

26. *Quid est peccatum actuale, quid habituale?* ℞. Actuale est ipsa actio mala, contra Legem DEI: habituale verò est ipsa hæc actio physicè præterita, prout per negationem condonationis divinæ, aut condignæ satisfactionis moraliter perseverat.

27. *Quid est peccatum mortale, quid veniale?* ℞. Mortale est gravis offensa DEI, privans hominem gratiâ & amicitiâ DEI, quæ est vita animæ; veniale levis DEI offensa, gratiam DEI non expellens, sed solùm minuens fervorem charitatis.

28. *Contrahúntne omnes homines peccatum originale?* R. Omnes, qui per viam generationis ab Adamo descendunt, quamprimùm animantur, illud contrahere; exceptâ Beatissimâ Virgine DEI Matre speciali privilegiô exemptâ.

29. *Qui sunt præcipui effectus peccati?* R. Sunt duo: Reatus, videlicet culpæ, & reatus pœnæ. Ille vocatur communiter macula, remanétque etiam, postquam actus peccaminosus physicè præteriit, donec condonetur; constituítque peccatum habituale.

30. *Sublatâ maculâ, tollitúrne hoc ipso etiam reatus pœnæ?* R. Quamvis simpliciter tolli posset reatus culpæ, remanente toto reatu pœnæ, tamen in hac Providentia, reatu culpæ sublato, tollitur hoc ipso etiam reatus pœnæ æternæ, remanente nihilominùs reatu pœnæ alicujus temporalis.

31. *Potéstne condonari peccatum mortale per puram condonationem DEI extrinsecam?* Resp. In hac providentia quidem condonatur semper per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ est unica causa formalis nostræ justificationis; absolutè tamen potest etiam per puram extrinsecam condonationem condonari.

32. *Factâ tali condonatione extrinsecâ, fierétne quis amicus DEI?* Resp. Si voluntas foret purè condonativa, fieret tantùm non inimicus.

33. *Potéstne unum peccatum mortale deleri sine altero in eodem subjecto?* Resp. Siquidem de facto deletio peccati mortalis fit per gratiam sanctificantem, quæ cum omni mortali peccato incompossibilis est, non potest unum deleri sine altero; posset verò per condonationem DEI purè extrinsecam.

34. *Quæ sunt principia externa actionum humanarum?* Resp. Esse leges & præcepta Superiorum.

Leges & Præcepta.

35. *Quid sunt Leges, quid Præcepta?* ℞. Leges sunt Communitati stabiliter præscriptæ. Præcepta verò particularibus tantùm dantur.

36. *Lex quotuplex est?* ℞. In genere duplex: Divina, & humana. Divina rursùs duplex; naturalis, & positiva.

37. *Quid est lex Divina naturalis?* Resp. Est naturale dictamen rationis, quô per lumen rationis nobis impressum, naturaliter cognoscimus evidenter recta & facienda, turpia autem, & rationi discongrua, vitanda.

38. *Quid est lex Divina positiva?* ℞. Est decretum DEI, hominibus præscribens modum necessarium, ut aptè pervenire possint ad beatitudinem supernaturalem.

39. *Quid est Lex humana?* Resp. Est rectum rationis Decretum, per rationem aliquam probabilem ab habente publicam auctoritatem sancitum, præscribens aliquid à subditis servandum, legíque naturali conveniens.

40. *Quotuplex est Lex humana?* R. Duplex: Alia sæcularis, quæ fertur à sæculari potestate ad finem naturalem, videlicet tranquillitatem Reipubl. Alia Ecclesiastica, seu Canonica, quæ fertur ab habente potestatem spiritualem, ad finem supernaturalem beatitudinis consequendum.

41. *Quosnam obligat Lex humana?* R. Omnes potestati Legislatoris subditos, quos intendit Legislator obligare.

42. *Quando obligat Lex humana?* Resp. Quando promulgata est sufficienter, cognita & acceptata à subditis, saltem à majori parte eorum.

43. *Obligátne sub pœna peccati?* Resp. Omninò, *ex mente Apostoli ad Roman. 13. Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit.*

44. *Quâ ratione eximitur quis ab obligatione Legis humanæ?* Resp. Primò, per privilegium, si quis ex intentione Legislatoris in Lege non fuerit inclusus. Secundò, per dispensationem, quâ quis Legi obligatus, eximitur ab ejus observatione per eum, qui potestatem habet. Tertiò, per epichiam,

&

& interpretationem Legis, quæ judicatur in aliquo casu particulari non obligare, quia non potuit Legislator omnes casus comprehendere & præsagire, nec voluit in omnibus obligare. Quartò, per contrariam consuetudinem, quæ introducta est videntibus Legislatoribus, nec contradicentibus efficaciter. Quintò, per Legis abrogationem ab habente potestatem.

45. *Quæ sunt principia interna actionum humanarum?* Resp. Gratia & virtutes Theologicæ.

Gratia Divina.

46. *Quid est Gratia?* ℟. Est donum supernaturale, nobis à Deo gratuitò infusum ad beatitudinem consequendam.

47. *Cur dicitur donum nobis infusum?* ℟. Ad differentiam à gratiis non inhærentibus, uti sunt Incarnatio & Sacramenta, quæ sunt gratiæ Divinæ, si nomen gratiæ latiùs sumatur.

48. *Quomodo dividitur gratia?* ℟. Prima divisione generali, dividitur in gratiam gratìs datam, & gratum facientem.

49. *Quid est gratia gratìs data?* ℟. Quæ ex sola DEI voluntate & extraordinariè datur quibusdam hominibus ad aliorum utilitatem & beatitudinem procurandam.

50. *Quot sunt hæ gratiæ gratìs datæ?* Resp. Novem numerantur ab Apostolo, 1 Cor. 12. *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum.*

51. *Quare hæ gratiæ dicuntur gratìs datæ?* ℟. Quia ita dantur ex mero Dei beneplacito, ut nullum ab eo sit institutum medium ad eas obtinendas, sicut est ad obtinendas multas gratum facientes gratias.

52. *Quid est gratia gratum faciens?* ℟. Est gratia, quæ datur hominibus ad propriam beatitudinem consequendam.

53. *Quotuplex est gratia gratum faciens?* ℟. Habitualis & actualis.

54. *Quid est gratia actualis?* ℟. Est motus aliquis in anima divinitùs excitatus, invitans eam ad actiones virtutum.

55. *In quo consistit ille motus, & ubi recipitur?* ℟. Consistit, ex communi sensu Doctorum, in illustrationibus intellectûs, & piis affectionibus voluntatis indeliberatis, receptis in intellectu & voluntate.

56. *Quomodo dicuntur fieri hi motus in nobis sine nobis?* ℟. Non hôc sensu, quòd à nobis physicè non producantur, sed quòd eliciantur sine nobis liberè operantibus.

57. *Quomodo dividitur gratia actualis?* Resp. In prævenientem, quatenus in actu primo trahit & allicit voluntatem ad consensum, & hæc eatenus vocatur etiam excitans; Concomitantem, quatenùs una cum voluntate influit, sive moraliter, sive physicè, in actum, vocatúrque etiam cooperans & efficax. Subsequentem, quatenus consummat & roborat voluntatem ad perseverandum in illo bono affectu, quem cum illa operatur; & in hac divisione comprehenditur etiam divisio in efficacem & sufficientem tantùm.

58. *Nunquid omnis Gratia efficax est sufficiens, cur ergo hæc membra dividentia ponuntur?* ℞. Esse quidem omnem Gratiam efficacem sufficientem, sed non vicissim omnem sufficientem esse efficacem.

59. *Quid ergo est Gratia efficax, quid sufficiens?* Resp. Efficax vocatur illa, quæ infallibiliter infert operationem; sufficiens verò, quæ complet actum primum libertatis ad operandum, sive sequatur actio, sive non.

60. *Unde colligi potest, quòd Gratia efficax sit simul sufficiens?* ℞. Apostolo Paulo, qui habuit Gratiam efficacem, dicit Dominus, 2 Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Id est, gratia mea est tibi sufficiens.

61. *Quomodo ergo gratia efficax, si est simul sufficiens, non tollit libertatem; siquidem*

hoc ipso debet se tenere ex parte actûs primi, quatenùs sufficiens est, & quatenùs efficax est, infallibiliter infert consensum? Resp. Non tollere libertatem, quia quatenùs efficax est, supponit consensum sub conditione futurum, proindéque hoc ipso tantùm necessitate & infallibilitate consequente infert consensum.

62. *Datúrne omnibus hominibus gratia sufficiens?* ℟. Dari eam omnibus adultis, Joan. 1. *Qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* 1 ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso, &c.*

63. *Quid est gratia habitualis?* Resp. *Ex Trident. sess. 6. c. 7. Est unica causa formalis nostra justificationis; qua justificatio* ibid. in init. *non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratia & donorum.*

64. *Quotuplex est gratia habitualis?* ℟. Duplex: Alia est prima, alia secunda; Illa est, quæ datur eam prius non habenti, peccatori videlicet, dum pœnituit; hæc, quæ est augmentum gratiæ prius habitæ.

65. *Distinguitúrne gratia habitualis à charitate?* Resp. Probabiliùs distingui; quia Tridentinum ubi dicit: *Justificationem fieri per susceptionem gratia & donorum*, dona contradistinguit à gratia; inter dona autem

ponit Fidem, Spem & Charitatem. Aliunde gratia habet se per modum naturæ in ordine supernaturali; Virtutes autem per modum potentiarum ad operationem ordinatarum.

66. *Qui sunt effectus præcipui gratiæ justificantis?* ℞. Ex doctrina Tridentini *sess. 6. c. 7.* sunt duo, videlicet: *Non est sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis; unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.*

67. *Infunduntúrne omnes virtutes supernaturales homini cum gratia sanctificante?* ℞. Infundi omnes, quia gratia tanquam natura in ordine supernaturali exigit illas tanquam proprietates.

68. *An non aliquæ priùs infundantur, quàm gratia sanctificans?* ℞. In adultis sæpè priùs infunditur habitus Fidei & Spei; cùm enim antequam ab iis ponatur ultima dispositio ad justificationem, (quæ est dilectio DEI super omnia, vel contritio perfecta, vel susceptio Sacramenti) elici debeant actus Fidei & Spei, qui actus sunt sufficiens dispositio ad habitum Fidei & Spei, congruum est, ut hi habitus positâ tali dispositione, infundantur ante infusionem gratiæ.

69. *Petéstne gratia sanctificans stare cum peccato simul in eodem subjecto?* Resp. Satis manifestum esse, quòd cum peccato habi-

tuali mortali non possit simul stare ; si enim (juxta communem) hujus perseverantia moralis consistit in negatione condonationis Divinæ ; gratia autem est causa formalis condonationis ; contradictoria conjungi deberent.

70. *Quid autem de peccato actuali?* ℞. Sicut probabile est, condonari posse peccatum per condonationem extrinsecam, dum actu fit, ita probabile est, gratiam stare posse cum actu peccaminoso, dum fit.

71. *Quem ergo effectum tunc haberent gratia & peccatum?* ℞. Gratia faceret justum, sanctum ; Amicum DEI, tanquam unica causa formalis justificationis ; peccatum verò denominaret peccatorem quoad quid facti, non autem quoad quid juris ; hoc est, fundaret quidem jus in DEO ad rationabiliter habendum peccatorem pro inimico, in actu tamen secundo, non redderet formaliter inimicum ; quia DEUS non acceptaret jus illud ad odio habendum, hoc ipso quòd infunderet gratiam, quæ est formalis cessio hujus juris.

72. *Quem adhuc specialem effectum habet sanctificatio hominis per gratiam?* Resp. Quòd opera ejus bona reddat condignè meritoria vitæ æternæ, exigatque quasi secundùm aliquem modum justitiæ compensari.

73. *Quomodo fit hac operum dignificatio?* Resp. Fieri hoc modo, quòd per gratiam

per-

persona operans reddatur digna tanquam amica & filia adoptiva DEI; quia autem opera hominis æstimabilitatem compensabilem accipiunt à dignitate operantis, ideo dignitas Personæ, cùm sit supernaturalis, reddet opera ejus bona digna præmio supernaturali.

74. *Quæ conditiones requiruntur ad meritum condignum?* ℞. Hæ 5. ut opus sit ex se bonum, ut sit factum in statu gratiæ, ut fiat liberè sine coactione & necessitate, ut sit factum in statu viæ, & ut aliquo modo referatur ad DEUM, ex quo habeat supernaturalitatem.

75. *Quid potest homo de condigno mereri merito supernaturali apud DEUM?* Resp. Augmentum gratiæ sanctificantis, gloriam æternam pro se tantum, & non pro aliis, quia solius Christi privilegium est, mereri aliis gratiam & gloriam, eò quòd vi unionis hypostaticæ, habeat plenitudinem gratiæ & gloriæ.

76. *Nunquid Sancti obtinent nobis gratiam?* Resp. Eos obtinere viâ impetrationis, orando DEUM, qui eorum preces exaudiens, ex liberalitate concedit quibusdam auxilia gratiæ, & consequenter ipsam gratiam sanctificantem. Viâ autem meriti nihil obtinent.

Vir-

Virtutes.

77. *Quid est virtus?* ℟. Est habitus aliquo modo potentiam hominis rationalem afficiens ad eliciendam operationem ejus naturæ consentaneam.

78. *Quare virtutes aliquæ dicuntur in medio consistere?* ℟. Quia ita attingunt suum objectum, convenienter regulæ rectitudinis suæ, ut neque illam excedant, neque ab illa deficiant.

79. *Quomodo dividitur generatim virtus?* ℟. Relatè ad potentias, ad quas spectant, aliæ sunt intellectuales; aliæ voluntatis.

80. *Quid est virtus intellectualis?* ℟. Est virtus afficiens intellectum, & inclinans ad assensum verum & judicium rectum: ut, ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus.

81. *Quid est virtus voluntatis?* Resp. Est virtus afficiens potentiam appetitivam ad objectum rectæ rationi consentaneum attingendum.

82. *Quæ est alia divisio virtutis?* ℟. In acquisitam & infusam, illa bonis actibus acquiritur, hæc per se à DEO infunditur, ut inserviat directè ad beatitudinem supernaturalem per opera salutaria acquirendam.

83. *Quæ adhuc est virtutis divisio?* Resp. In Theologicas & morales. Illæ inclinant po-

potentiam immediatè ad DEUM attingendum, hæ ad media, quibus DEUS acquiritur, in iis honestatem ad DEUM ordinatam amplectendo.

84. *Estne adhuc alia divisio?* Resp. Est: In habitualem & actualem. Illa est qualitas facilitans aut inclinans hominem ad bonum potentiæ, permanens in homine etiam nihil agente & dormiente. Hæc est ipse actus ex hac facilitate aut inclinatione proveniens.

Virtutes Theologicæ.

85. *Quid est, & in quo genere virtutum est fides Divina?* ℟. Est virtus intellectualis Theologica, qua inclinamur ad assentiendum super omnia, quamvis inevidenter omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit.

86. *Quare additur:* Et nobis per Ecclesiam? &c. ℟. Quia non tenemur credere revelationibus aliarum privatarum personarum, nisi Ecclesia eas à DEO esse dixerit.

87. *Quotuplex est actus fidei?* Resp. Internus & externus; ille est assensus mentis firmus, sed obscurus, innixus revelationi Divinæ; iste est assensus verbalis, seu professio fidei ore facta, *Ad Rom. 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

88. Est-

88. *Estne ad salutem necessarium omnia credere, quæ sunt à DEO revelata?* ℞. Necesse est omnia credere fide implicitâ, sed non est necesse omnia credere fide explicita.

89. *Quid est credere fide explicitâ, & quid fide implicitâ?* ℞. Habere assensum circa illud directè, quod creditur, est credere fide explicitâ; habere autem assensum non terminatum ad id, quod creditur, sed ad aliud, in quo continetur id, quod creditur, est credere fide implicitâ.

90. *Monstretur hoc in exemplo?* ℞. Credendo vera esse, quæ credit Ecclesia, nihil cogitando de die judicii, credit quis implicitè diem judicii, quia illum etiam Ecclesia credit.

91. *Quid necessarium est credere fide explicitâ?* ℞. Vulgaribus satis est, si credant explicitè articulos Symboli Apostolorum saltem quoad substantiam; at Sacerdotibus & Rectoribus Ecclesiarum eò plura alia sunt credenda, quò præstantius exercent officium.

92. *Credúntne infantes baptizati?* ℞. Illos recipere in Baptismo fidem habitualem simul cum gratia sanctificante, & hâc fide credunt non actu, sed habitu; sicut habent animam rationalem, quâ sunt rationales, licèt non ratiocinentur.

93. *Quæ sunt vitia opposita fidei Divinæ?* ℞. Sunt infidelitas negativa, & positiva, Paganismus, Judaismus, apostasia, hæresis.

94. *Quid*

94. *Quid eſt infidelitas negativa, quid poſitiva?* ℞. Illa eſt privatio fidei in eo, qui de ea nihil audivit; hæc eſt renitentia contra fidem, quâ quis eam negat, reſpuit, vel contemnit.

95. *Quid eſt Paganiſmus?* ℞. Eſt infidelitas, quæ contrariatur fidei nunquam receptæ, & comprehendit etiam Turciſmum.

96. *Quid eſt Judaiſmus?* ℞. Eſt infidelitas, quæ fidei receptæ contrariatur tantùm in umbra & figura, ſiquidem Judæi receperunt fidem tantùm in umbra.

97. *Quid eſt Apoſtaſia?* ℞. Eſt infidelitas, quæ contrariatur fidei receptæ, in rei veritate, eam penitùs reſpuendo.

98. *Quid eſt hæreſis?* ℞. Eſt infidelitas, quâ reſiſtitur non toti fidei, ſed tantùm parti: definitúrque eſſe error in intellectu cum pertinacia aſſertus ab eo, qui fidem recepit. Dicitur autem cum pertinacia, id eſt, cum ſcientia, quòd repugnet fidei Eccleſiæ Catholicæ, cui nolit quis eſſe ſubditus.

99. *Quid eſt ſpes Divina?* ℞. Eſt virtus Theologica, quâ voluntas fertur in DEUM, ſeu in beatitudinem, quatenus auxiliis gratiæ Divinæ, & bonis operibus acquiribilem.

100. *Quotuplex eſt objectum ſpei?* Reſp. Alterum eſt primarium, alterum ſecundarium; illud eſt DEUS ipſe, quà auxiliator, quatenus nobis illum volumus, quatenus bo-

bonum noſtrum ac beatitudo noſtra eſt, illud complectitur omnia beatitudinis accidentia, ac etiam media ad eam conſequendam neceſſaria.

101. *Quæ ſunt peccata ſpei oppoſita?* ℟. Duo: Deſperatio, & præſumptio.

102. *Quid eſt deſperatio?* ℟. Eſt motus voluntatis, quo deſiſtit à procuratione Beatitudinis, & ab ea avertitur, tanquam ſibi eſſet impoſsibilis.

103. *Quid eſt præſumptio?* ℟. Eſt motus voluntatis, quo illa intendit propriæ virtuti innixa id, quod eſt ſupra illius vires, v. g. Naturæ viribus conſequi beatitudinem. Vel quo intendit Beatitudinem ſine mediis à Deo inſtitutis conſequi, v. g. ſperando Beatitudinem ſine pœnitentia.

104. *Timor éſtne ſpei oppoſitus?* Reſp. Minimè; quia ex parte noſtra timemus DEUM propter noſtram infirmitatem, ex parte autem DEI, ſperamus propter auxilia gratiæ, quæ confert, & quibus infirmitatem noſtram ſublevat.

105. *Quid eſt timor ſervilis, filialis, initialis?* ℟. Servilis procedit ex metu pœnarum præcisè; filialis ex horrore culpæ, quia DEI ſummi boni offenſiva eſt; initialis eſt mixtus ex utroque, procedítque ita ex horrore culpæ ut Dei offenſivæ, ut habeat ſimul conjunctum metum pœnarum.

106. *Quid eſt Charitas?* ℟. Eſt virtus Theologica,

logica, quâ voluntas amat DEUM ut summè bonum, & reliqua propter ipsum.

107. *Quid est amare DEUM?* ℞. Est velle bonum DEI, ut ipsi DEO bonum est.

108. *Quid est amare proximum propter DEUM?* ℞. Est amare eum, ut est creatura DEI ad DEUM pertinens, & capax eum glorificare in æternum.

Virtutes Cardinales.

109. *Dantúrne etiam virtutes Cardinales?* ℞. Dantur, & sunt: Prudentia, justitia, temperantia, fortitudo.

110. *Quid sunt virtutes Cardinales?* ℞. Sunt virtutes morales, reliquis præcellentiores, & ad quas reliquæ reducuntur.

111. *Quare dicuntur Cardinales?* ℞. Quia sicut ostium circa cardinem, ita tota moralis honestas circa illas versatur.

112. *Qua in re præcellunt hæ virtutes?* ℞. In juvando hominem contra majora virtutum impedimenta, qualia sunt, vel agendorum ignorantia, vel delectabilia, vel terribilia, vel amor sui ipsius inordinatus.

113. *Contra quæ ex his impedimentis sunt singulæ illæ virtutes?* Resp. Contra ignorantiam est prudentia, quæ agenda ostendit. Contra delectabilia est temperantia, quæ est virtus delectationum moderativa. Contra terribilia est fortitudo, quæ est virtus corrobo-

roborans animum, ne terroribus succumbat. Contra amorem inordinatum sui ipsius est justitia, inclinans rectè se ad alterum habere.

114. *Ad quam virtutem Cardinalem reducitur Religio?* R. Ad justitiam, quia DEO reddit, quæ DEI sunt.

115. *Quid est Religio?* R. Est virtus moralis, quæ hominem inclinat, ut DEO debitum cultum & honorem exhibeat, tanquam omnium Creatori & Domino.

116. *Quis est ille cultus & honor?* Resp. Sunt actus tum interni, tum externi, testificantes Divinam excellentiam & Majestatem.

117. *Qui sunt actus interni Religionis?* R. Devotio, & oratio. Illa est voluntas promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad DEUM, hæc est petitio decentium à DEO.

118. *Potéstne quis odio habens proximum, sine mendacio recitare Orationem Dominicam?* R. Potest, quia ea recitatur in persona totius Ecclesiæ, quæ odium non habet.

119. *Qui sunt actus externi Religionis?* R. Sunt: Adoratio, Sacrificium, oblatio, primitiæ, decimæ, votum, jusjurandum.

120. *Quid est adoratio?* R. Est actus externus Religionis, quo per convenientem aliquem corporis gestum protestamur nostram subjectionem erga DEUM, tanquam summum bonum.

121. *An non potest fieri adoratio actu interno?* ℞. Potest quidem, sed imperfecta, nisi nos DEO integrè secundùm animam & corpus subjiciamus.

122. *Quid est Sacrificium?* ℞. Est actus externus Religionis, quoad Divinam Majestatem recognoscendam, & nostram erga eum servitutem protestandam, res aliqua certô ritu ac ceremoniâ ei offertur, immutatur seu destruitur.

123. *Ad quid prodest immutatio seu destructio rei oblatæ in sacrificio?* ℞. Ad testificandum, creaturam coram DEO infinito esse veluti nihilum quoddam; hâc enim testificatione Deus summè honoratur, dum creatura sui destructione coram ipsius magnitudine humiliatur.

124. *Quid est votum?* ℞. Est promissio DEO facta de meliori bono.

125. *Quid est Juramentum?* ℞. Est actus Religionis, quo quis assumit Deum in testem.

126. *Quid prodest assumere DEUM in testem, cùm non reddat testimonium?* ℞. Adhibebit pro certo testimonium in futuro, quando *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1 ad Corinth. 4.* & illud testimonium nulli juranti deficiet vel pro eo, vel contra eum. *D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 2.*

127. *Quod peccatum opponitur directè Religioni?* ℞. Maximè superstitio, quæ exhibet cultum

cultum Divinum, vel cui non debet, vel eô modô, quô non debet.

128. *Quotuplex est superstitio?* ℞. Duplex; una, quæ vocatur superstitio indebiti cultûs, quæ exhibet cultum vero DEO, sed indebito modo, ut si quis bovem sacrificaret in honorem DEI. Altera est superstitio falsi cultûs, quæ exhibet Divinum cultum ei, cui non debet; ut idololatria, qua adorantur falsi dii, & dæmones.

129. *Quotuplex est superstitio falsi cultûs?* Resp. Triplex, secundùm quod cultus DEO debitus reddi potest dæmoni propter tres fines.

130. *Quæ est prima?* ℞. Est ex fine reverentiæ dæmoni exhibendæ simpliciter, éstque idololatria.

131. *Quæ est altera?* ℞. Est ex fine recipiendæ à dæmone alicujus doctrinæ & instructionis; & hæc vocatur divinatio, quâ consuluntur dæmones, exhibendo illis reverentiam ad aliquid cognoscendum.

132. *Quæ est tertia?* Resp. Est ex fine recipiendæ directionis actuum suorum à dæmone, ut nempe fiant ex ejus præscripto, & est superstitio observationum, qualis reperitur in maleficis, qui pacto inito expresse vel tacitè cum dæmone, ex ejus præscripto actiones suas dirigunt ad nocendum proximo.

133. *Quotuplex est maleficium?* Resp. Du-

Duplex: Alterum amatorium, alterum veneficium.

134. *Quid eſt maleficium amatorium?* R/. Quod ordinatur ad amorem carnalem malè inflammandum, vel extinguendum.

135. *Quid eſt veneficium?* R/. Quod ordinatur ad damnum inferendum in corpore, vita, bonis fortunæ, &c. ope dæmonis.

136. *Opponitúrne cultus, qui Sanctis redditur, Religioni & divino honori?* R/. Minimè, ſi debitè fiat ſecundùm doctrinam Eccleſiæ; alia enim ſpecies Religionis redditur DEO, quàm Sanctis.

137. *Quotuplex ergo eſt cultus Religionis?* R/. Triplex; cultus latriæ, cultus duliæ, & hyperduliæ.

138. *Quid eſt cultus latriæ?* R/. Eſt cultus Deo debitus propter infinitam & increatam ejus excellentiam, qui maximè fit per adorationem & ſacrificium, quod eſt præcipuus actus Religionis.

139. *Quid eſt cultus duliæ?* R/. Eſt cultus, qui redditur Sanctis, propter eorum excellentiam & ſanctitatem communem, & quaſi vulgarem inter illos.

140. *Quid eſt cultus hyperduliæ?* R/. Eſt cultus, qui etiam Sanctis redditur, ſed iis duntaxat, qui ſunt præcipui & eminentiores in ſanctitate & gloria, utì eſt Beatiſſima Virgo, ſupremus Angelus, & Sancti quidam maximè inſignes.

CAPUT IV.

De Baptiſmo.

Baptiſmus triplex.

I.

CUm Diaconus ex officio poſſit miniſtrare Baptiſmum, ſi ipſi committatur, utique inſtructus eſſe debebit in hujus Sacramenti adminiſtratione. Quotuplex igitur Baptiſmus? Reſp. Triplicem eſſe; fluminis, flaminis & ſanguinis.

2. *Explicetur hic triplex Baptiſmus?* ℟. Baptiſmum *Fluminis* eſſe illum ipſum ſacramentalem à Chriſto Domino inſtitutum, collatum in aqua elementari. *Flaminis* eſt deſiderium ſeu votum Baptiſmi ſacramentalis, in contritione perfecta peccatorum, vel amore DEI ſuper omnia incluſum. *Sanguinis* eſt martyrium, ſupplens vicem Baptiſmi, & ex ſpeciali privilegio delens peccata omnia.

3. *Cur vocantur Fluminis, Flaminis & Sanguinis?* ℟. Fluminis vocatur, quòd fiat cum aqua elementari, quæ ut plurimum eſt ex flumine, & ipſe Chriſtus in flumine baptizatus eſt; quamvis & ex mari, fontibus, nubibus, puteis, lacubus, ſtagnis adhiberi poſſit. *Fla-*

minis

minis denominatur à flatu, seu spiratione & suspirio, desiderium magnum rei cujuspiam indicante. *Sanguinis* ab effusione sanguinis fieri solita in martyrio.

4. *Quomodo includit contritio perfecta, aut amor DEI super omnia votum, seu desiderium Baptismi Sacramentalis?* ℞. Quatenus hi actus sunt virtualis voluntas adimplendi omnia præcepta Divina, suppositâ eorum notitiâ & negatione impedimenti, inter quæ præcepta comprehenditur etiam susceptio Baptismi sacramentalis.

5. *Potéstne Diaconus quemlibet ex his Baptismis ministrare?* Resp. Primum potest etiam solenniter, ex commissione, aut in necessitate. Secundum alteri physicè non potest, siquidem alienum actum voluntatis producere nequit. Tertium activè ministrare graviter vetitum est quintô Decalogi præceptô; passivè subire, & laudabile, & gloriosum est.

6. *Estne qualecunque votum Baptismi, Baptismus flaminis hominem justificans?* Resp. Soli actui Charitatis Divinæ, aut contritioni perfectæ talem charitatis actum includenti hoc privilegium concessum esse, ut extra Sacramentum justificent; ac proinde nullum Baptismi votum erit Baptismus flaminis justificativus, nisi inclusum in dictis actibus.

Materia remota Baptismi.

7. *Quæ est materia remota, certò sufficiens Baptismi fluminis?* ℞. Omnis aqua certò elementaris, seu naturalis, *ex Decreto Eugenii IV. in Conc. Florent. post sess. ult.* ut: Aqua maris, fluminis, fontis, stagni, putei, cisternæ, pluviæ, roris, pruinæ non concretæ, vaporum in hyeme ex parietibus exsudantium, vel tegumentis ollarum, dum ignis subjicitur, adhærentium, nivis, glaciei, grandinis liquefactarum, balnei, quamvis odoris sulphurei, aqua ex luto expressa, & hæ aquæ sive calidæ, sive frigidæ, sive naturaliter odoratæ, sive aliquantum spissiores, & pauco luto immixtæ, dummodo aqua sint, quia hæ aquæ omnes sunt naturales, & Joan. 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI.*

8. *An sit de fide, nonnisi aquam naturalem debere adhiberi ad validè ministrandum Baptismum?* ℞. Id esse definitum *in Trid. sess. 7. Can. de Baptismo: Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, anathema sit.*

9. *An etiam aqua è latere Christi profluens fuisset certa materia Baptismi?* ℞. Eam aquam naturalem fuisse, censuerunt sancti Patres; ac proinde dubitandum non est, futuram sufficientem.

10. *Quæ materia remota est certò insufficiens ad Sacramentum Baptismi?* ℞. Omnes liquores specie differentes ab aqua naturali esse insufficientes, ut sunt: Vinum, lac, cerevisia spissa, mel, oleum, crematum, urina, saliva, lacrymæ, pituita, sudores, humor stillans ex viribus, cucumeribus, peponibus, &c. Aqua item ita alterata, vel aliô corpore ita mista, ut aquæ denominationem & naturam amittat; ut lixivium forte, brodium spissum, & valde carnibus, vel alia materia decoctum, aqua multô vinô mixta, & similes aliæ mixturæ, nix, glacies, gelu, lutum densum, succus ex herbis & fructibus expressus; quia hi omnes liquores non sunt aquæ elementares & naturales, aut immediatè ad abluendum aptæ.

11. *Quæ materia remota hujus Sacramenti est dubia?* ℞. Aquæ ex herbis, floribus, radicibus vi ignis distillatæ, ex arboribus pro potu humano, & animalium naturaliter defluentes, aqua ex vino priùs diluto extracta, cùm incertum sit, an non sint partes puriores ipsius vini; brodium non admodum spissum, seu coctum, lutum non admodum densum, lixivium leve, atramentum non adeò spissum ex aqua confectum, cerevisia tenuis, aqua resoluta ex sale concreto ex aqua marina; & multò magis ex sale montano, cùm utraque multum exhalationis terreæ contineat, aqua existens in linteo & digito, nisi exprima-

matur, cùm non videatur apta ad abluendum, sed potiùs ad abstergendum. Et ratio horum omnium est, quia harum materiarum aptitudo disputatur ab Authoribus, proindéque hoc ipso dubia est.

12. *Qualis materiæ remotæ usus est licitus?* ℞. Seclusa necessitate sub peccato adhibendam esse materiam certam de sacro fonte benedicto, servatô ritu & consuetudine suæ Ecclesiæ; ita quidem, ut materiam certam sub gravi peccato adhibere teneatur. In casu autem necessitatis potest & debet adhiberi materia, etiam dubia, ita tamen, ut Baptismus fiat sub hac conditione saltem mente concepta: *Si materia hac idonea est ad baptizandum, ego te, &c.*

13. *An solenniter baptizans, si in hyeme aquam sacri fontis calefieri curet, vel adhibeat aquam calidam non benedictam, peccet mortaliter?* ℞. Si primum fiat, Tamburinus non audet vocare gravem irreverentiam. Si autem fiat secundum, Bonacina judicat esse grave peccatum, utpotè in re gravi contra Ecclesiæ consuetudinem; negat Quintanad. quia vel non est ullum præceptum, vel si est, est de re non substantiali.

14. *Qui in necessitate baptizavit, adhibitâ materiâ dubiâ sub conditione, an & quomodo debet postea rebaptizare?* Resp. Debet rebaptizare, & quidem sub conditione, pariter mente saltem concepta, sed diversa à prio-

à priori, nempe hac: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

Materia proxima Baptismi.

15. *Quæ est materia proxima Baptismi?* ℟. Est ablutio baptizandi.

16. *Quot modis potest fieri certò hac ablutio?* ℟. Tribus modis: *Infusione, immersione, & notabili aspersione.*

17. *Qui modus ex his tribus servandus est?* ℟. Servandam esse praxim diversarum Ecclesiarum.

18. *An & quantum peccet per affusionem is, in cujus Diœcesi præscribitur immersio, vel è contra?* ℟. Probabiliùs videri, quòd peccet tantùm venialiter; siquidem in Ritualibus non habentur verba significantia gravem obligationem.

19. *Requiriturne necessariò trina immersio?* ℟. Olim eam præceptam fuisse, sed hodie non exigi, juxta Palaum.

20. *An dum trina ablutione fit Baptismus, & forma ante tertiam ablutionem profertur, jam tunc conficiatur Baptismus?* ℟. Perfici omninò, nisi intentio sit alligata tertiæ etiam ablutioni, quia jam tunc habentur omnia essentialia Sacramenti.

21. *Qualis ablutio est certò sufficiens ad valorem Baptismi?* Resp. Si abluatur baptizandus in aliqua parte corporis principali,

v. g. capite, pectore, scapulis, etiam in utero matris ab obstetrice; si linteum aquâ imbibitum, aut lutum exprimatur in partem aliquam principalem corporis; si vestitus ita immergatur & emergatur, vel perfundatur, ut aqua ad corpus ipsum penetret; si inquam hæc fiant ab ipso pronunciante formam, certus est Baptismus, quia his omnibus modis censetur quis à baptizante ablui.

22. *Quæ ablutio est certò insufficiens?* ℞. Si abluantur solæ vestes, aut lintea, quibus est involutus baptizandus; si ipse in aquam insiliat, & alter pronunciet verba; vel etiam, si cadat ipse non projectus in aquam; si alter affundat, & tu pronuncies verba; si submittatur homo ad originem fontis utcunque distantis per canalem fluentis, ut eum fluere faciat; eique baptizare volens subjiciat baptizandum, tam remotè se habens ad ablutionem, quia his casibus non censetur ille abluere, ac proinde formam falsificat.

23. *Quæ ablutio est dubiè sufficiens?* ℞. Posse esse dubiam ex triplici capite, videlicet: Ex parte baptizantis, ex parte baptizandi, & ex parte aquæ.

24. *Quæ est dubia ex parte baptizantis?* ℞. Si baptizandum submittat sub canalem, vel alium locum, unde aqua per se actu delabitur; videtur enim nimis latô modô & remotè concurrere ad ablutionem.

25. Quæ

25. *Quæ ablutio est dubia ex parte baptizandi?* ℟. Si quis in capillis tantùm, infans in secundina, in digito tantùm, in sola manu, solo pede abluatur, de his enim controvertunt Authores; sicut etiam, si linteum madidum imprimatur baptizando; si immittatur in aquam, & inde non extrahatur; si madefiat per aspersionem absque eo, quòd aqua diffluat.

26. *Quæ ablutio est dubia ex parte aquæ?* ℟. Si una, vel altera, vel etiam tertia gutta aquæ, quamvis successivè corpus tangat, nonnullis non videtur propriè ablutio esse, sicut nec tunc, (ut priùs dictum) dum linteo, aut manu madefactâ corpus baptizandi contingeretur.

27. *Quæ est materia proxima Baptismi quoad licitum usum?* ℟. De hoc proportionaliter sentiendum, ac de materia remota. Notandum tamen, tam pro materia remota, quàm pro proxima, ac etiam pro forma, aliquas, quæ à nonnullis Authoribus certò sufficientes judicantur, haberi ab aliis pro dubiis, & quæ à nonnullis pro dubiis habentur, haberi ab aliis pro certò insufficientibus, & vicissim, ut adeò, si aliquæ ab uno vel altero habeantur pro dubiis, vel sufficientibus, in casu necessitatis adhibendæ sint, etsi ab aliis habeantur pro certò nullis.

28. *An qui infantem jam jam moriturum in puteum projiceret baptizandum, pronuntiatâ* legi-

legitimè formâ, validè baptizaret? ℞. Ita communiter doceri; quia tamen aliqui negant, ideo pro dubio Baptismo habendus esset.

29. *An autem taliter baptizans peccaturus esset, accelerando mortem infantis ob finem tam salutarem?* ℞. Affirmativè; sicut is, qui secando aperiret uterum matris animam agentis ad infantem baptizandum; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

30. *An etiam incurreret irregularitatem ex delicto?* ℞. Incursurum, si peccaminosè & non bonâ fide ageret.

31. *An & ille malè operaturus esset, qui baptizaret ita infirmum, ut mors illi acceleranda judicaretur per modicæ etiam aquæ ad Baptismum necessariæ infusionem?* ℞. Cum Coninck, Hurtado, Diana, Pasqualigo, Tamburino, hunc casum esse ferè moraliter impossibilem, nec posse tam modicam & ferè insensibilem mortis accelerationem tam humanâ actione causatam, reputari peccaminosam, & contra rationem ob salutem æternam alterius, neque ex se esse causam mortis, sicut altera projectio vera illius causa est.

Forma Baptismi.

32. *Quæ est forma necessaria Baptismi?* ℞. Hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Matth. 28.* à Christo Domino determinata, & ab hac non differt sub-

ſubſtantialiter forma Græcorum : *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.*

33. *Quid ergo debet ſignificari per formam Baptiſmi?* R. 1. Perſona baptizantis ſaltem implicitè ; utpote à qua ipſa actio baptizandi procedere debet. 2. Ipſe actus baptizandi ; ſiquidem aliàs forma non connecteretur cum materia, neque hanc determinaret ad rationem ſacramentalem. 3. Perſona baptizandi ; ſiquidem ſicut ipſa ablutio, ita & forma circa certam perſonam verſari debet. 4. Unitas naturæ Divinæ. 5. Trinitas perſonarum Divinarum explicitè & diſtinctè vulgaribus vocabulis.

34. *Eſtne vox* Amen *etiam de neceſſitate?* R. Minimè, ſicut nec vox *Ego*, quia ſine illa habetur tota formæ ſignificatio ; iſta verò ſatis ſignificatur per verbum *Baptizo*. Similiter particula *In*, & conjunctio *Et*, non habentur pro eſſentialibus.

35. *An id verum ſit de particula* In, *& particula* Ego, *in quacunque lingua?* R. In Latina verum eſſe ; in aliis quibuſdam linguis falſum eſſe, probat Gobat ; quia inquit : In Germanica, Gallicave, ſi omittatur *Ego*, nullus efficietur ſenſus. In iiſdem & Italica, Hiſpanica, Græca, ſi deſit præpoſitio *In*, orietur confuſio.

36. *At etiam in forma Græcorum non videtur ſignificari perſona baptizans?* R. Satis

eam significari per verbum *Baptizetur*, quod idem significat, ac *baptizatur à me.*

37. *Quem sensum habent voces : In Nomine ?* Resp. Juxta aliquos eundem, ac *in invocatione*. Juxta alios : *In Fide*. Alios: *In virtute*, id est : *In authoritate & potestate.*

38. *Quæ formæ Baptismi sunt certò sufficientes ?* ℟. Præter supra relatam habentur communiter sequentes pro certò sufficientibus : *Ego te baptizo, in Nomine DEI Patris, DEI Filii*, vel *Christi DEI Filii, & Spiritûs Sancti* ; Vel, si *in Nomine* repetatur ad singulas personas ; Vel : Si particula *Et* ubique interponatur, quia sic pluralitas tantùm personarum explicatur, non naturarum. Item : *Ego te baptizo in Nomine DEI Patris omnipotentis, & Filii sapientis, & Spiritûs Sancti boni*, vel *Paracliti*. Vel : *Virtute Patris, &c.* Vel si *&* ubique omittatur. Item : *Baptizo te, &c.* Vel *Baptizo hunc, &c.* Vel : *Ego te abluo.* Vel : *Lavo in nomine, &c.* Vel : *Ego Sacerdos, ego Petrus te baptizo, &c.* Vel : *Baptizetur servus Christi.* Vel : *Baptizeris*, vel *baptizetur hic in nomine, &c.* Item : *Ego in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti baptizo te.* Vel si ad singulas Personas Divinas addatur : *Ego te baptizo in nomine.* Vel si auctoritatis gratiâ dicatur : *Nos te baptizamus, &c.* Vel : *Ego vos*, aut, *vestram dominationem.* Aut : *Vestram*

ſtram Excellentiam baptizo , &c. Vel : *Ego baptizo ſervum Chriſti , ducem talem , &c.* Vel : *Petrum , &c.* Item , ſi dum multi baptizandi ſunt , in neceſsitate , dicatur : *Ego vos baptizo , &c.* quia ly *vos* , idem ſignificat, ac *te , te , te.*

39. *Quæ formæ ſunt certò non ſufficientes?* ℞. Sequentes communiter pro talibus habentur : *Ego te baptizo in Nominibus Patris , &c.* quia ſignificatur pluralitas Deorum. Vel : *In nomine Chriſti , Amen.* Vel : *In nomine Dei, Amen.* Vel : *In nomine Trinitatis , Amen.* Vel : *In nomine trium Divinarum Perſonarum , Amen.* Vel : *In nomine Omnipotentis, Sapientis , & Boni.* Vel : *In nomine Genitoris , & Imaginis ejus , & Doni.* Vel : *In nomine Patris majoris , Filii minoris , & Spiritûs ſancti.* Vel : *In nomine Patris , & Filii , & gratiæ Spiritûs ſancti.* Vel : *In nomine Sanctiſſimæ Virginis , & Sanctorum , Amen.* Vel : *In nomine Patris , & Filii , & Spiritûs ſancti , ac Beatiſſimæ Virginis & Sanctorum* , ſi ſcilicet ſit intentio baptizandi indiviſibiliter etiam in nomine B. Virginis & Sanctorum ; aliud eſt , ſi tantùm invocetur auxilium B. Virginis & Sanctorum. Item ſi dicatur : *Baptizatur à Chriſto , vel à DEO talis ſervus Chriſti, Amen.* Vel : *Baptizetur* , deprecativè intelligendo , & non authoritativè. Item : *Ego baptizo in te nomine , &c.* quia per hanc transpoſitionem mutatur ſenſus formæ. Item : *Baptizo*

Petrum, *&c.* quia nec implicitè significatur persona baptizans. Item: *Ego me baptizo*, *&c.* quia baptizans à baptizante distinctus significari debet.

40. *Si duo simul eundem baptizent, uterque pronunciando formam, an, & cujus Baptismus valebit?* ℟. Si alter independenter ab altero baptizet, valebit Baptismus, & quidem ab illo collatus, qui factâ ablutione priùs formam pronunciaverit; si autem simul uterque pronunciaret formam, uterque simul baptizaret eo modo, quo in ordinatione Sacerdotum omnes ordinati, qui cum ordinante simul formam pronunciant, simul consecrant.

41. *Quæ formæ Baptismi sunt dubiæ?* ℟. Sequentes, si verbis *Ego te baptizo*, addantur sequentia: *In nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque.* Vel: *In nomine ungentis, uncti, & quo unctus est.* Vel: *In nomine Patris, & JESU Christi, & Spiritûs Sancti.* Vel: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs.* Cùm enim etiam Angelus sit spiritus, non videtur sufficienter explicitè significari Spiritus Divinus. Vel: *In nomine Patris, & Verbi, &c.* Vel: *Cum nomine.* Vel: *Sub nomine Patris, &c.* Vel: *Cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto.* Vel: *In DEO Patre, &c.* Vel: *In essentia Patris.* Vel: *In uno DEO Patre, &c.* Vel: *In Patre, &c.* Cùm in his non videatur id totum significari, quod

in nomine. Idem eſt de his : *In unum Deum Patrem, &c.* Vel : *Per unum Deum Patrem, &c.* Vel : *In virtute, auctoritate, & fide Patris, &c.* Quia hæ voces videntur minùs ſignificare, quàm : *In nomine.* Item : *In nomine Filii, Patris, & Spiritûs ſancti.* Vel : *In nomine Spiritûs Sancti, Filii, & Patris* ; quia per priorem non explicatur proceſſio Filii à Patre, & per ſecundum, ejuſdem Filii à Patre, & Spiritûs Sancti ab utroque. Item : *In nomen Patris, &c.* quia videtur, *in nomen*, non habere certò eandem ſignificationem, quàm *in nomine.* Item : *Ego te tingo, intingo, mergo, immergo, aſpergo, aquam infundo, balneo, conjicio in aquam in nomine, &c.* Dubia ſunt Tamburino. Item : *Baptizat*, vel, *baptizet te DEUS*, vel : *Chriſtus in nomine, &c.* Aut : *Baptizaris*, vel, *Baptizeris à DEO*, vel : *A Chriſto, &c.* quia non explicatur ipſius Miniſtri actio.

Iteratio Baptiſmi.

42. *Dantúrne aliquæ regulæ ad determinandum, quando ſit iterandus Baptiſmus?* ℟. Dantur tres Regulæ apud Tamburinum.

43. *Quæ eſt prima Regula?* ℟. Quandocunque Baptiſmus collatus eſt aliquo modo ex dubiè ſufficientibus, iterandus erit ſub conditione ; ſi autem collatus eſt modo certò inſufficienti, iterandus abſolutè.

44. *Quæ est secunda Regula?* ℟. Si quis habet probabilem opinionem, sive ex jure, sive ex facto, quòd non sit baptizatus, poterit sub conditione rebaptizari; quia habet hoc ipso prudentem & rationabilem timorem de nullo Baptismo suscepto.

45. *Obligatúrne talis petere iterationem Baptismi?* ℟. Obligari, quia ubi agitur de valore Sacramentorum, maximè ad salutem necessariorum, est obligatio sequendi id, quod tutius est.

46. *Quæ est tertia Regula?* ℟. Quoties quis moraliter certus est se esse baptizatum, quamvis aliquem levem scrupulum, vel suspicionem habeat de nullitate Baptismi, non potest etiam sub conditione rebaptizari, quia ageretur hoc ipso imprudenter.

47. *Unde potest haberi moralis certitudo de suscepto validè Baptismo?* ℟. Sequentes Regulas dari ab Authoribus. Primò, si sit natus inter fideles, aut etiam inter hæreticos, de quibus certum est, quòd & accuratè & benè administrent Sacramentum Baptismi. Secundò si unicus testis fide dignus asserat, te esse ritè baptizatum. Tertiò, ex libro Parochi, in quem baptizati inscribuntur. Quartò, si expositi infantes schedulam appositam habeant, testificatoriam Baptismi, quamvis de hoc multi oppositum sentiant, eò, quòd non sit testimonium magnâ fide dignum. Quintò, si in necessitate à peritis obstetricibus, vel

à pa-

à parentibus baptizetur; aliud est, si in aliqua regione obstetrices deprehenderentur frequenter errare.

48. *Qui adultus rebaptizaretur conscius sibi peccati mortalis, an obligaretur prius confiteri dictum peccatum?* R. Si ante Baptismum iteratum est confessus legitimo Sacerdoti dictum peccatum, prorsus non debere iterari ejus confessionem; quia si primus Baptismus fuit validus, est absolutus ab eo in Sacramento Pœnitentiæ; si verò primus Baptismus fuit invalidus, remittetur illi dictum peccatum per secundum Baptismum. Quòd si autem dictum peccatum non fuit confessus, dico neque eô casu ad confitendum obligari; siquidem hôc ipsô probabile foret, quòd non sit materia Sacramenti Pœnitentiæ; ne tamen effectus Baptismi impediretur, obligaretur elicere saltem attritionem de commissis peccatis personalibus, quæ non remittuntur, nisi retractentur.

49. *Possétne autem confiteri ante Baptismum illa peccata, cùm viderentur esse saltem dubia materia Sacramenti pœnitentiæ?* R. Id facilè admissuros eos, qui etiam sola dubia peccata judicant esse materiam sufficientem Sacramenti Pœnitentiæ; quo tamen casu absolutio fieri deberet sub conditione. Cæterùm nemo inficiabitur dictum peccatum ante iterationem Baptismi commissum, posse post illum susceptum simul cum aliis post talem Baptismum com-

misis

missis clavibus subjici; ut nimirum, si casu, quo primus Baptismus valuisset, absolvatur directè ab hoc peccato.

50. *Quo loco, quomodo, & à quo debet talis Baptismus sub conditione ministrari?* ℟. Posse in quocunque loco etiam occultissimo, idque consultiùs ad evitandum scandalum, nisi res sit publica. Item à quocunque etiam laico, dummodo perito, etsi Sacerdos haberi posset; sicut etiam sine patrinis & reliquis solennitatibus; quia hæ omnes circumstantiæ & solennitates institutæ solùm sunt pro Baptismo absoluto, aut solenni, non autem pro conditionato.

Minister Baptismi.

51. *Quis est minister ordinarius Baptismi?* ℟. Esse Sacerdotem, & quidem proprium, id est, Parochum.

52. *An ergo alius baptizans peccet, & quali peccato?* ℟. Si extra necessitatem sine licentia Parochi, aut Episcopi, tanquam supremi Parochi, baptizet, peccare omninò, & quidem peccato ex genere suo mortali contra justitiam; siquidem agitur contra officium alterius, nisi excusetur per licentiam præsumptam Parochi.

53. *In necessitate potéstne alius etiam baptizare?* ℟. Potest quilibet, nemine excepto, quemlibet licitè.

54. *An*

54. *An non tamen aliquis ordo inter præsentes servandus in tali necessitate?* ℞. Absente Parocho, administret Sacerdos quicunque, hoc absente, Diaconus; tum Subdiaconus; tum Acolytus; tum Exorcista; tum Lector, tum Ostiarius, tum demum Tonsuratus. Nullo horum præsente administret vir Laicus; tum fœmina; ultimò hæreticus, infidelis, apostata.

55. *An hunc ordinem invertere sit peccatum grave?* ℞. Non esse grave præcisâ aliâ inconvenientiâ, ut si v. g. Hæreticus Catholico, vel laicus Sacerdoti, aut Diacono volenti ministrare præferretur; tunc enim juxta communem peccatur mortaliter.

56. *An non saltem Sacerdoti excommunicato præferri posset laicus non excommunicatus?* ℞. Cum communiori non posse; quia pro tali articulo est æquè minister is, qui est excommunicatus, ac qui non est excommunicatus; similiter mulier in gratia existens, præferri non deberet viro, aut Sacerdoti in peccato existenti; cùm enim in mortali privatim & sine solennitate hoc Sacramentum ministrare non sit mortale peccatum, (ut supponitur) non esset ratio hunc ordinem invertendi.

57. *Quid si autem inferior esset peritior ad baptizandum etiam Sacerdote?* ℞. Hoc casu non tantùm potest, sed debet superior cedere inferiori, ut nimirum securiùs confera-

feratur Sacramentum adeò necessarium.

58. *An qui baptizat in necessitate, contrahat etiam cognationem spiritualem cum baptizato & ejus parentibus?* ℟. Cùm talis verè baptizet, omninò contrahit cognationem; excipitur parens in necessitate baptizans filium suum legitimum, tunc enim non contrahit cognationem dictam cum uxore sua, nec impeditur à petendo debito, ex *Cap. ad Limin. 30. quest. 1.*

59. *Quid si pater aut mater baptizent proprium filium, vel filium legitimum alterutrius extra necessitatem, privantúrne jure petendi debitum conjugale?* ℟. Cum Hurtado, quamvis graviter peccent contra Canones agendo, probabile tamen esse, quòd non priventur; quia vel nullus Canon impedimentum inducens extat, vel si quis fuit, correctus est per Canones posteriores.

60. *Obligatúrne minister ad solennitates Baptismi servandas?* ℟. Quando baptizat extra necessitatem, obligari sub mortali. *Ex Clement. unic. de Bapt.* solennitates autem quæ sint, videantur in Rituali.

61. *Quo loco debet fieri Baptismus solennis?* ℟. Qui sine necessitate baptizat extra Ecclesiam, domi, vel alibi, peccat mortaliter ex communiori sententia. Solis enim liberis Regum aut Principum ex Jure conceditur, ut in domibus (ex mente Soatii in Oratoriis privatis) baptizentur.

62. *Si peregrina pariat in loco alienæ Parochiæ, poteritne Parochus loci illius prolem baptizare?* ℟. Potest, & Barbosa absolutè dicit, peregrinum posse eligere sibi locum Baptismi, ubi vult.

Subjectum Baptismi.

63. *Quod est subjectum capax Baptismi?* ℟. Solus homo vivens, ab Adamo descendens nondum baptizatus.

64. *Si infans inter baptizandum moriatur nondum finitâ formâ, éstne baptizatus?* Resp. Minimè, quia Baptismus nondum est completus.

65. *Qui baptizatum absolutè rebaptizat, quas pœnas incurrit?* Resp. Qui absolutè baptizatum validè, absolutè rebaptizat, præterquam quòd gravissimè peccet, & nullum Baptismum conficiat, & ipse, & baptizatus fiunt irregulares, & Jure Civili subjacent pœnæ mortis. Si autem rebaptizet sub conditione etiam sine justa causa, has pœnas non incurrit, quia eæ intelliguntur de Baptismo absolutè dato.

66. *An nondum perfectè natus baptizari possit?* ℟. Si sit periculum, debere baptizari, dummodo aliqua pars corporis ablui possit, quia est homo vivus, nec certò constat esse incapacem.

67. *Quid si dubium sit, an infans vivat?*

℟. Baptizandum esse sub conditione; ne forte, si vivus foret, permitteretur sine remedio salutis.

68. *Si baptizans infantem, putet esse prolem Petri, & reipsa est Joannes; aut putet esse masculum, qui est puella, an validè baptizet?* ℟. Validè; quia intentio fertur in præsentem, aliter quàm in matrimonio, in quo fertur in personam existimatam.

69. *Monstrum ab homine natum an baptizari possit?* ℟. Si capite & pectore formam hominis refert, baptizandum esse; secùs si referat bestiam.

70. *Quid si solùm caput sit ferinum?* ℟. Aliquos putare, quòd sit baptizandum, alios judicare differendum Baptismum ad meliorem notitiam acquirendam, vel si sit periculum, baptizandum sub conditione: *Si es capax, ego te baptizo.*

71. *Quomodo infans baptizandus, cum geminatis membris humanis, si dubitetur, an sit unus homo, vel duo?* ℟. Duplicem Baptismum conferendum esse, unum absolutè, alterum sub conditione pro illa parte, quæ est imperfectior.

72. *An Baptismus infantis diu differri possit, quando non est periculum mortis?* ℟. Ex receptissima & gravi Ecclesiæ consuetudine, sub mortali diu differri non debere, ita ut ad 15. vel summum 20. dies sine urgenti causa differre sit mortale.

73. An

73. *An plures ſimul baptizari poſſint ab uno, unicam formam pronunciando:* Ego vos baptizo? &c. ℞. Validè poſſe, ſed illicitè extra caſum neceſsitatis.

74. *Infantes infidelium poſſúntne baptizari?* ℞. Validè poſſe, ſed non licitè, repugnante utroque parente; quia vel aufferrentur illis, & fieret illis injuria, niſi ſpecialis titulus adſit; vel relinquerentur illis, & fieret injuria Sacramento, ob irreverentiam, quæ orietur ex educatione eorum in infidelitate.

75. *Quid ſi autem parentes ſint mancipia Chriſtianorum?* ℞. Eô caſu poſſe infantes eorum baptizari etiam iis invitis, quia tanquam ſervi, magis ſub cura domini ſunt, quàm ſub cura parentum. Aliud eſt, ſi parentes ſint tantùm civiliter ſubjecti. *Ex Cap. Majores de Bapt.*

76. *An ergo nec infantes infidelium moribundi baptizandi ſunt invitis parentibus?* ℞. Tales baptizari poſſe; quia non eſt morale periculum, quòd ſint per parentes à fide revocandi, & ſupponitur, inde non ſecuturum grave incommodum baptizanti, ſi id cautè fiat.

77. *Quid ſi unus parentum conſenſit etiam extra periculum mortis infantis?* ℞. Etiam tunc debere baptizari, deberéque tradi curæ parentis conſentientis. *Cap. 2. de conv. infid.* quia religionis & fidei bonum præferendum eſt juri, quo parens potitur in filium.

78. *An*

78. *An infantes infidelium longè à parentibus distantes, nec illis ampliùs remittendi, baptizari possint illis invitis?* ℞. Posse, quia cessat periculum perversionis à fide, nec fit injuria parentibus, cùm supponantur aliunde ad eos etiam propter distantiam non redituri.

79. *An infantes infidelium parentibus orbati, possint invitis tutoribus baptizari?* ℞. Si tutores sint infideles à patre constituti, non posse, quia ex jure naturali tutores succedunt patri, quando eos pater constituit. Si autem tutores sunt constituti jure civili, & sint subjecti Principi Christiano, possunt eorum pupilli baptizari iis invitis, quia tunc Princeps posset privare potestate illos tutores, eámque sibi servare, vel alteri Christiano tutori dare: consequenter baptizari facere.

80. *An infantes talium infidelium, vel hæreticorum priùs aliquando baptizatorum, aut saltem alterutrius illorum baptizati possint iis invitis baptizari?* ℞. Posse; quia eorum parentes utpote per Baptismum Ecclesiæ subjecti, possunt cogi ad servanda omnia præcepta naturalia, Divina & Ecclesiastica.

81. *An in dictis casibus, quibus infantes infidelium baptizari possunt, sit obligatio eos baptizandi?* ℞. Omninò esse, per se loquendo, sic dictante charitate, vel misericordiâ.

Aliud

Aliud est, si ex tali Baptismo grave incommodum timeretur, cum quali incommodo charitas non obligat.

82. *Si puer infidelis habens usum rationis peteret baptizari, foretne baptizandus invitis parentibus?* ℞. Affimativè, quia in negotio Religionis est sui juris.

83. *Quid si dubitetur, an puer usum rationis habeat?* ℞. Cum Laym. & aliis, si Baptismus differri non possit, ad capiendam certiorem notitiam, debere baptizari; quia in dubio in favorem fidei & animæ salutis inclinandum est; cùm major videatur fieri injuria tali petenti remedium salutis, si negetur, quàm parentibus, si à potestate eorum filius abstrahatur.

84. *Quid si autem parentes infidelium consentiant, puer autem, de quo dubitatur, an habeat usum rationis, reluctetur?* ℞. Urgente mortis periculô, talem puerum baptizandum sub conditione ob bonum pueri; tali autem periculo non urgente, differendum, donec perfectum usum rationis nanciscatur, ut scilicet evitetur periculum nullitatis Sacramenti & apostasiæ in ipso puero, quod ex illa pueri reluctantia timeri prudenter posset.

85. *An Principes Christiani baptizare possint infantes Turcarum, quamvis parentes nondum sint mancipia?* ℞. Sicut adversùs illos justum bellum gerere, eosdem occidere, bonis spoliare, ita eorundem filios ab iis avellere (ubi

 post

post Baptiſmum fieri, & in fide educari oportet) poſſunt.

86. *Poſſúntne autem filii eorum illis nondum baptizati reſtitui?* ℞. Ad evitanda gravia incommoda (maximè ne & ipſi recuſent reſtituere filios Chriſtianorum) poſſe reſtitui, judicat Tamburinus cum aliis.

87. *Poſſúntne amentes baptizari?* ℞. Qui perpetuò amentes fuerunt, baptizandi ſunt ſicut infantes; ſi autem ante amentiam habuerunt uſum rationis, baptizandi non ſunt, niſi aliquando habuerint voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum.

88. *Quid requiritur in adulto ex parte ſua ad ritè & validè ſuſcipiendum Baptiſmum?* ℞. Ad validè ſuſcipiendum requiri ſaltem habitualem intentionem, hoc eſt, quæ aliquando fuit actualis, non retractatam. Ad ritè autem ſuſcipiendum requiri etiam ad minimum attritionem de peccatis perſonalibus commiſſis, cognitionem myſteriorum fidei & præceptorum à ſe deinceps ſervandorum.

89. *Quid ſi hæc omitterentur, an peccaretur in adminiſtratione Sacramenti?* ℞. De primo nullum eſt dubium, ſiquidem invalidum foret Sacramentum; de ſecundo etiam dubitari nequit, ſiquidem impediretur gratia Baptiſmalis, eò, quòd peccata perſonalia non dimittantur, niſi retractata; de tertio etiam certum eſt, extra mortis periculum, cùm credere debeat, juxta illud *Matth.* 11. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic ſalvus erit.* De quarto etiam

extra

extra mortis periculum, pariter certum est; cùm enim observare ea obligabitur, utique notitiam eorum habere debebit.

90. *Quæ debet scire credenda, & credere baptizandus adultus?* R. DEUM unum & trinum, DEI Filium pro nostra salute incarnatum, mortuum, resurrexisse, ascendisse in cælos, venturum judicare, & remunerari bonos vitâ æternâ, punire malos pœnis æternis, ad beatitudinem perveniri non posse sine fide & observatione præceptorum, per Baptismum se obtenturum gratiam & amicitiam Divinam.

91. *Quorum præceptorum cognitionem habere debet adultus baptizandus?* R. Tum præceptorum Decalogi, tum præceptorum Ecclesiæ, quia ad horum omnium observantiam obligabitur. Præter hæc, quæ pro Baptismo ritè suscipiendo necessaria sunt, instruendus etiam est, ut sciat Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, decem præcepta & alia, quæ de præcepto scienda sunt, & enumerantur *à Sanchez lib. 2. Decal. c. 3. n. 24. fin.*

Cognatio spiritualis ex Baptismo.

92. *Contrahitúrne aliqua cognatio in Baptismo?* R. Contrahi cognationem spiritualem, sicut & in Confirmatione, éstque illa impedimentum dirimens matrimonium inter taliter cognatos.

93. *Inter quas Personas nascitur hæc cognatio spiritualis in Baptismo?* ℟. Novo jure *Trid. sess. 24. c. 2. de reform. matrim.* enascitur inter baptizatum & baptizantem, baptizatum & patrinum, vel matrinam, vocatúrque hæc utraque cognatio *Paternitas.* Item inter patrinum, vel matrinam, & patrem, matrémque baptizati, & inter baptizantem cum patre, matréque baptizati, vocantúrque hæ duæ cognationes *Compaternitas.*

94. *Quid est esse patrinum vel matrinam?* ℟. Qui, vel quæ, vel tenendo baptizatum, cùm Baptismus administratur, vel suscipiendo de manibus baptizantis, immediatè post Baptismum spondet, saltem tacitè, se habiturum curam spiritualem ejus, qui baptizatur, in instructione rerum fidei, is patrinus vel matrina censetur.

95. *Estne necessarium ad Baptismum, adhibere patrinum, vel matrinam?* ℟. Probabiliùs esse mortale, in solenni Baptismo non adhibere patrinum, vel matrinam, siquidem fit in re gravi contra præceptum Ecclesiæ.

96. *Quæ persona potest agere patrinum, vel matrinam in Baptismo?* ℟. Requiri imprimis, ut sit rationis compos, quamvis sit junior baptizando, ut scilicet possit voluntariè facere id, quod Ecclesia instituit, videlicet intentionem habere exercendi munus susceptoris, & non tantùm materialiter se habere in suscipiendo.

97. Do

97. *Debétne patrinus eſſe baptizatus?* ℟. Debet omninò, aliàs quamvis intentionem quamcunque habeat, imò etſi debitè baptizet, nullam prorsùs cognationem contrahet, etiamſi poſtea Baptiſmum ſuciperet; Lex enim hæc cùm ſit purè Eccleſiaſtica, non ſe extendit ad alios, quàm qui per Baptiſmum Eccleſiæ ſubjecti ſunt.

98. *Potéſtne hæreticus Patrinus admitti?* ℟. Non poſſe per ſe, ſine gravi culpa; quia non eſt aptus ad inſtruendum puerum in vera fide. Cæterùm quia baptizatus eſt, contraheret cognationem ſpiritualem, ſi admitteretur.

99. *Quid ſi autem alius Patrinus haberi non poſſet, quàm hæreticus?* ℟. Meliùs tunc fore, Baptiſmum ſolemnem ſine Patrino peragere.

100. *Quot poſſunt Patrini adhiberi?* ℟. *Ex Trident. ſeſſ. 24. c. 2. de Reform. Matrim.* Unus tantùm, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus & una, idque aliqui putant ſub mortali, alii ſub veniali tantùm. Cæterùm addit idem Trid. ut ſi alii ultra deſignatos tenuerint baptizandum; cognationem non contrahant.

101. *An duo conjuges poſſint ſuſcipere ex Baptiſmo alienam prolem?* ℟. Quamvis id prohibere videatur Urbanus II. ſub veniali, probabiliùs tamen eſt, vel non eſſe prohibitionem, vel ſaltem Conſtitutionem illam non eſſe uſu receptam.

102. *An possit quis se intrudere ad munus patrini obeundum?* ℟. *Ex Trid. cit.* debere esse designatum.

103. *Ad quem pertinet eum designare?* ℟. Primariò ad parentes, vel ad eos, quibus incumbit curare, ut quis baptizetur, in horum defectu ad Parochum.

104. *An si hæc designatio prorsùs omittatur, suscipiens contrahat cognationem?* ℟. Post Trid. probabiliùs non contrahere, juxta Sanchez, siquidem hanc designationem videtur Tridentinum de forma substantiali requirere ad munus patrini.

105. *Quid si plures simul designarentur quàm unus & una, contraheréntne omnes cognationem?* ℟. Cum *Tambur.* probabiliùs videri, nullum contracturum; quia deficit alia conditio, quæ etiam est substantialis, quâ Trid. voluit, unum, vel unam tantùm, vel ad summum unum & unam designari; siquidem finis Tridentini erat, has cognationes spirituales valde diminuere.

106. *Si quis se ad hoc munus ingerat, & à parentibus, aut Parocho non rejiciatur, an habendus hoc ipso pro designato, ac proinde pro vero patrino?* ℟. Aliquos id affirmare simpliciter, alios sentire tantùm, tunc id verum esse, quando talis facilè rejici posset, & non rejicitur; tunc enim valet Regula illa Juris: *Qui tacet, consentire videtur.*

107. *Pater, vel mater, potéstne esse patrinus, vel matrina propriæ prolis in Baptismo?*

℟.

℞. Extra casum necessitatis non posse, absque gravi peccato; quia in re gravi discederent à Legibus Ecclesiæ; in casu tamen necessitatis non peccabunt.

108. *An autem tunc contrahant cognationem spiritualem, & consequenter priventur jure petendi debitum?* ℞. Probabile esse, quòd non contrahant, ex eadem ratione, quam suprà attulimus pro patre & matre baptizante proprium filium; Ecclesia enim annexuit cognationem hanc legitimæ susceptioni; cùm ergo hæc susceptio sit illegitima, & contra Legem eodem modo loquentem per verba: *Non potest*, ac de non baptizatis, non inducet cognationem.

109. *An Religiosi possint agere patrinos in Baptismo?* ℞. Nec Religiosum, nec Religiosam posse, *ex cap. Non licet, de Consecr. dist. 2.* Si tamen sint patrini, contrahent cognationem. Et Quintanad. existimat, id prohiberi solis Monachis, & quidem non nisi sub levissimo veniali, à quo excusat quælibet causa.

110. *An frater, vel soror possint suscipere fratrem, vel sororem in Baptismo?* ℞. Posse, quia id nulla lege invenitur prohibitum, consque in casu occurrente contrahere cognationem spiritualem.

111. *Ad quid obligatur Patrinus?* ℞. Obligatur instruere baptizatum in fide & moribus Christianis, quæ tamen obligatio non urget, nisi in tempore necessitatis; quæ vix occurrit inter Christianos, cùm communiter hæc instructio fiat per parentes & Parochos.

112. *In quali adminiſtratione Baptiſmi contrahitur cognatio ſpiritualis à ſuſcipiente ſeu levante?* ℞. Probabiliùs videri, quòd in ſola ſolenni, non autem privata, ſi adhibeatur ſuſcipiens; quia jura hanc cognationem inducentia in ſuſcipientem, solùm loquuntur de ſuſcipiente in Baptiſmo ſolenni; proinde extendenda non eſt [illegible] cognatio ad ſuſcipientem in privato.

113. *At nunquid baptizans etiam in privato contrahit hanc cognationem; cur non ergo etiam ſuſcipiens?* ℞. Diverſitatem eſſe, quòd jura loquantur de baptizante ſimpliciter, etiam de fœmina; at cognationem patrinorum annectunt ſuſcipienti ex inſtituto Eccleſiæ, qualiter non ſuſcipit, qui in privato ſuſcipit.

114. *An qui ſuſcipit infantem, quando in Eccleſia ſolùm ſupplentur ſolennitates Baptiſmi, privatim collati ob neceſſitatem, ſit verus patrinus?* ℞. Non eſſe, quia verè non ſuſcipit in Baptiſmo.

115. *Qualis actio requiritur in ſuſcipiente, ad contrahendam hanc cognationem?* ℞. Requiri, ut vel teneat baptizandum, dum baptizatur, vel illum immediatè accipiat à baptizante poſt Baptiſmum; quia jura utuntur his terminis: *Tangendi, levandi, tenendi, ſuſcipiendi, &c.* Requiritur etiam intentio exercendi munus patrini, quæ ſufficit, ſi ſit implicita, v.g. faciendi quod alii faciunt, vel quod Eccleſia intendit.

116. *An qui haberet expressum animum non contrahendi cognationem spiritualem, suscipiendo baptizandum, nihilominùs contraheret?* ℟. Si tantùm materialiter baptizandum suscipiat, nolendo positivè munus patrini obire, non contracturum, quia hoc ipso non fit patrinus. Si autem velit munus patrini obire, contraher cognationem, quamvis nollet illam contrahere, quia hæc cognatio est annexa muneri patrini, nec dependet ampliùs à patrini voluntate, postquam patrinus esse voluit.

117. *Si quis in Baptismo suscipiat Titium, putans & intendens suscipere Cajum, an contrahat cognationem cum Titio?* ℟. Probabiliùs videri, quòd non contrahat, quia non voluit fieri Patrinus Titii, sed Caji.


118. *At nunquid baptizans validè baptizat cum tali errore circa personam, cur ergo cum simili errore suscipiens baptizandum non contraheret cognationem?* ℟. Baptizans habet, & habere debet intentionem baptizandi præsentem, quicunque is sit; ac proinde error prædictus non influit in ejus actionem; at suscipiens potest verè fieri unius patrinus, & non alterius, ac proinde potest alligare suam intentionem ad personam, quam esse putat, sicut id ipsum fit in matrimonio.

119. *Potéstne levari baptizandus etiam per Procuratorem?* ℟. Posse per legitimè ab ipso principali constitutum, ut patet ex praxi quotidiana.

120. *Quis eo casu contrahet cognationem spiritualem, Principalis, an Procurator?* ℞. De Procuratore decisum esse à sacra Congr. quòd non contrahat, utì refert *Barbosa de offic. Paroch. c. 18. n. 15.* De Principali autem negat Sanchez cum innumeris Jurisperitis, quia non implet conditionem requisitam, cùm ipse non tangat baptizandum; veriùs affirmant alii, quia incredibile est, quòd Ecclesia præcipiens, & quidem sub gravi culpa, adhiberi patrinum in solenni Baptismo, concedat, ut toties non adhibeatur patrinus, quoties levatur baptizandus per Procuratorem; siquidem eo casu, qui est valde frequens, nullus foret patrinus.

121. *Cur adhibetur patrinus in Baptismo?* ℞. Ex mente *D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 7. in corp.* quia patrinus assimilatur quodam modo generationi carnali; sicut ergo parvulus nuper natus indiget nutrice & pædagogo; ita in Baptismo requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis & pædagogi, informando & instruendo eum, quasi novitium in fide, de his, quæ pertinent ad fidem & vitam Christianam.

122. *Potéstne solùm mas fœminam, vel sola fœmina marem levare?* ℞. Quamvis id vetuerit *Concil. Nic. 4. apud Soar. hîc, qu. 67. art. 7.* tamen juxta eundem Soarium id hodie non observari; cùm Trid. clarè dicat: *Sive vir, sive mulier.* Servanda autem est consuetudo.



PARS IV.

De Presbyteratu.

CAPUT I.

De Materia, Forma, Officio, &c. Presbyteratûs in genere.

I.

Q*Uid est Sacerdotium?* ℞. Est potestas ad conficiendum Corpus & Sanguinem Christi, & ad remittendum peccata per administrationem Sacramentorum, Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis.

2. *Quid est Presbyteratus?* ℞. Est ordinatio, (quâ traditur potestas ad conficiendum Corpus & Sanguinem Christi, & ad remittendum peccata) facta ab Episcopo, certa verba proferente, & cum intentione debita.

3. *Quare vocatur Ordinatio potiùs, quàm Ordo?* ℞. Nomen Ordinationis significare actionem; nomen verò Ordinis significare meliùs gradum, qui acquiritur per Sacramentum. Presbyteratus autem, quamvis hodie pro utroque usurpetur, tamen magis propriè

est illa actio, seu cæremonia sacra, quâ Episcopus ordinat aliquem in Presbyterum, ideo aptiùs Ordinatio vocatur, quàm Ordo, ex mente Theologorum.

4. *Quomodo debet comparere ordinandus in Presbyterum ad ordinationem?* ℟. In reliquis convenit cum Diacono, nisi quòd præter amictum, albam, cingulum, debet esse manipulô & stolâ per transversum more Diaconi indutus, & casulam seu planetam super brachium sinistrum complicatam, candelam & mappulam albam pro manibus ligandis manu gestans.

5. *Quotuplex potestas confertur per ordinationem Presbyteratûs?* ℟. Duplex, una in corpus Christi verum ad illud conficiendum; altera in corpus Christi mysticum, ad absolvendum alios à peccatis.

6. *Quotuplex clavis confertur Presbytero?* ℟. Duplex: Clavis potestatis, & clavis scientiæ.

7. *Quæ est clavis potestatis?* ℟. Est potestas, quam habet Sacerdos ad ferendam sententiam super pœnitentes, seu absolvendo, seu negando absolutionem, seu eam differendo ex justitia, cùm res ita postulaverit.

8. *Quæ est clavis scientiæ?* ℟. Est potestas, quam recipit Sacerdos ad inquirendum, examinandum & cognoscendum more judicis ea, quæ spectant ad peccata pœnitentium, antequam ferat sententiam, vel absolvendo, vel remittendo, aut differendo absolutionem. Neque enim justè exequi posset ea, quæ sunt potestatis, nisi præcederet debita informatio & cognitio.

9. *An*

9. *An Sacerdotes magis docti excellant aliis in clavi scientiæ?* ℟. Non excellere, sicut non excellunt in clavi potestatis, siquidem omnes habent æqualiter potestatem inquirendi & examinandi pœnitentes.

10. *Quid tamen habent præcellentiæ quoad hanc clavim?* ℟. Hoc, quòd illi meliùs possint uti illâ clavi scientiæ, quàm indoctiores, in quantum possunt magis discretè ea inquirere, quæ sunt magis necessaria, abstinendo ab inquisitione superfluorum; cùm è contra indocti sæpè hac clavi abutantur, negligendo inquirenda, & inquirendo negligenda.

11. *Quare vocatur clavis duplex hæc potestas?* ℟. Quia quemadmodum clavis instrumentum est, quo aperitur, vel clauditur janua: ita duplex hæc potestas est instar instrumenti, Sacerdotibus ad aperiendam januam cælorum pœnitentibus absolvendo: vel claudendam, iis absolutionem negando, si opus fuerit, perspectâ priùs eorum conscientiâ.

Materia & forma.

12. *Quæ est m[...]ria Presbyteratûs?* ℟. Esse duplicem partialem: prior est calix cum vino, & patena cum hostia, eorúmque traditio, *ex Florent. §. sextum Sacramentum.* Posterior est ultima manuum impositio, ab ipso solo Episcopo facta ipsi Sacerdoti; non autem prima, quæ fit ab Episcopo simul cum aliis saltem tribus Sacerdotibus.

 13. *Quæ*

13. *Quæ est forma hujus Ordinationis?* ℟. Esse pariter duplicem partialem. Prior est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium DEO, Missásque celebrandi, tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini.* Posterior est: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

14. *An si Episcopus in ordinatione Presbyteri diceret:* Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, *omisso:* Et pro defunctis, *posset nihilominùs sic ordinatus celebrare pro defunctis?* ℟. Quòd posset; quia habet potestatem conficiendi Corpus & Sanguinem Christi, quod est principale ac substantiale; alterum verò, offerre pro vivis aut defunctis, est tantùm secundarium & accessorium.

15. *Quare ultima impositio manûs est materia hujus Ordinis, & non prima?* ℟. Quia illa habet sibi annexam formam potestatis sacerdotalis collativam, non verò hæc.

16. *Conferúntne hæ duæ partiales materiæ & formæ sacramentales distinctas gratias & characteres?* ℟. Conferre; cùm enim habeant omnia requisita ad ponendum effectum, ponent eum.

17. *Si hæ sunt materiæ & formæ hujus sacri Ordinis, quomodo ergo in Ecclesia Græca potest legitima ordinatio fieri per solam impositionem manuum, & hæc verba:* Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt, supplet, creat, seu promovet, N. Venerabilem

Diaconum, in Presbyterum? ℞. Dictum esse alibi, determinationem materiæ & formæ in specie aliquorum Sacramentorum relictam esse à Deo Ecclesiæ; cùm ergo apud Græcos per dictam materiam & formam significetur tota potestas Presbytero conferenda, fiet per eam legitima ordinatio; apud Latinos verò, quia per quamlibet materiam & formam nonnisi partialis potestas significatur, ordinatio adæquata non fiet, nisi per utramque.

18. *An ordinatus acceptâ primâ potestate in Corpus Christi verum, antequam accipiat secundam, validè conficiat Corpus & Sanguinem Christi?* ℞. Omninò, quia jam tunc habet plenam potestatem in Corpus Christi verum, & juxta Tridentinum, est verè Sacerdos. Imò de facto in ordinatione semper consecrant cum Episcopo ante secundam potestatem collatam.

19. *An vicissim, si quis per errorem acciperet secundam potestatem sine prima, validè absolveret à peccatis?* ℞. Minimè, quia potestas in Corpus Christi mysticum essentialiter supponit potestatem in Corpus Christi verum; siquidem per hanc propriè fit quis Sacerdos; & secunda potestas dari nequit, nisi Sacerdoti.

20. *An autem possit absolvere à peccatis, cui tradita est sola potestas in Corpus Christi verum?* ℞. Veriùs esse, quòd non; quia sunt distinctæ potestates, quæ non conferuntur, nisi adhibitis debitis materiâ & formâ.

21. *An ad valorem hujus ordinationis necessarium sit, tangere immediatè ipsam hostiam?* ℞. Vix dubitari posse, quòd sufficiat cum calice solam patenam, in qua sit hostia, tangere; sufficienter enim intelligitur quis acceptare hostiam, si acceptet vas, in quo est hostia, sicut de facto vinum non tangitur, sed calix, in quo illud continetur.

22. *An valida foret ordinatio, si hostia immediatè traderetur in manus ordinandi?* ℞. Esset valida, quia jam traderetur id, quod per se & de essentia requiritur; calix enim & patena solùm ob congruentiam ex præcepto Ecclesiæ usurpatur.

23. *Quid si traderetur Hostia & Vinum simul commixta in calice?* ℞. Et tunc fore validam, quia traderetur tota substantia requisita, quamvis modo indebito.

24. *An sufficeret contactus solius calicis continentis vinum & superimpositam patenam cum Hostia habentis?* Resp. Cum pluribus apud Tambur. omninò sufficere, quia calix & patena calici superposita, videntur facere quid unum, & per modum unius porrigi, sufficit proinde tangere partem, ut dicatur tangi totum. Et sicut ad tangendum moraliter & humano modo vinum in calice, sufficit tangere ipsum calicem, ita ad tangendam moraliter patenam sufficiet tangere calicem, ipsam supra se continentem. In praxi tamen & ex præcepto tangendum est utrumque.

25. *Forétne valida ordinatio, si aut vinum in calice, aut hostia in patena deesset?* ℞. Speculativè quidem loquendo, validam videri; siquidem dum datur potestas consecrandi unam speciem, indivisibiliter datur etiam potestas consecrandi alteram: in praxi tamen dubiam futuram ordinationem propter probabilitatem contrariæ sententiæ; ac proinde iterandam saltem sub conditione.

26. *Quid si in calice sit solum vinum sine aqua?* ℞. Validam fore sine omni dubio, sicut & consecratio valida foret; aqua enim admiscetur solùm ex præcepto.

27. *Quid autem, si vinum esset multa aqua dilutum?* ℞. P. Gobat videri sufficere, quantumcunque aquæ sit infusum, modò permaneat substantia vini, etsi nullo sensu percipi possit. Putat autem certum esse, quòd dummodo percipi possit sensu aliqua vinositas, nihil prorsus scrupuli habendum sit; etsi sciatur, fuisse in calice plus aquæ, quàm vini; quia per hanc qualem qualem vini substantiam sufficienter judicari potest consecrandi potestas. Tamburinus tamen judicat, saltem dubiam fore ordinationem, ac proinde iterandam sub conditione.

28. *An calix & patena debeant esse consecrata? An debeat intercedere contactus physicus? An simul cum prolatione formæ?* ℞. Me jam de his alibi dixisse.

29. *An sufficiat tangere exteriorem cuppæ cali-*

calicis argenteam investituram, quæ persæpè calicibus pro ornatu adnectitur? ℟. Sine dubio sufficit; quia verè talis censetur humano modo cuppam tangere; *Et res annexa recipit naturam principalis. Dignius enim trahit ad se minùs dignum.*

30. *An sufficiat ordinatio facta per impositionem manus Episcopalis tectæ chirotheca?* ℟. Omninò sufficere; sic enim Græci ordinant imponendo manus interjecto pallio. *Et ex Can. si quis*, incurrit excommunicationem, qui manus etiam chirothecâ tectas injuriosè injicit in sacerdotem.

31. *An ordinatio foret valida, si unus Episcopus traderet materiam, & alter pronunciaret formam?* ℟. Minimè, sed idem utrumque præstare debet.

32. *Quomodo sacerdotes novi se gerere debent in ordinatione, quando celebrant cum Episcopo?* ℟. Ad vitanda omnia pericula & perplexitates: 1. Intendant formam recitare eo meliori modo, quem intendit Ecclesia. 2. Nullo modo præveniant Episcopum in prolatione verborum consecrationis, sed curent cùm eo simul absolvere. 3. Habeant intentionem consecrandi eandem hostiam, si simul cum Episcopo absolvant formam, aliàs proferendi verba saltem materialiter, in signum potestatis sibi concessæ.

33. *Quod est officium Sacerdotis?* ℟. Est duplex: Primò, consecrare & offerre Corpus & Sanguinem Christi. Secundò, à peccatis ab-

absolvere, aliáque Sacramenta, excepto Ordine & Confirmatione, populo ministrare suo modo, illúmque doctrina ac bonitate ad virtutem inflammare, & prædicatione ex Episcopi commissione instruere populum, & terræ fructus benedicere.

34. *Potéstne Papa delegare ordinationem Sacerdotis?* ℟. Non posse non Episcopo, vel Episcopo non Sacerdoti; quia id nunquam legitur factum, & ideo videtur non delegabile.

35. *Quæ ætas requiritur ad Sacerdotium?* ℟. Requiri annum vigesimum quintum inchoatum.

36. *An non saltem Regulares possunt promoveri ad hunc Ordinem anno ætatis vigesimo secundo?* ℟. De privilegio vivæ vocis oraculo dato à Pio V. (quod prætenditur) quoad hoc non constare, aliunde Gregor. XIII. & XV. revocârunt omnia privilegia vivæ vocis oraculo data, nec constat hoc confirmatum esse.

37. *Quæ scientia requiritur pro Sacerdotio?* ℟. A Trid. Concilio requiri, ut idonei comprobentur diligenti examine ad populum docendum necessaria ad salutem, & ad ministranda Sacramenta, ritè celebrandum, &c. Impedimenta Canonica ad celebrandum, & ministranda Sacramenta etiam ita noscere debent, ut saltem aliquo modo dubitare possint.

Episcopatus.

38. *Quæ est materia & forma Episcopatus?*

℟.

℟. Materiam esse, manuum impositionem, ordinariè à tribus Episcopis factam; formam verò: *Accipe Spiritum Sanctum.*

39. *Quod est officium Episcopi?* ℟. Præter ea, quæ sunt Sacerdotis, est ministrare Sacramentum Ordinis & Confirmationis, Basilicas, Altaria, Vestes, Vasa, Chrisma, Virgines consecrare, approbare ad Confessiones & Conciones, jurisdictionem ad ministranda Sacramenta delegare, &c.

40. *Quis est Minister Episcopatus?* ℟. Ordinariè esse tres Episcopos consecratos; ex delegatione tamen Papæ potest unicus consecrare, & factum aliquando legitur.

41. *Quæ ætas requiritur ad Episcopatum?* ℟. Trigesimus ætatis annus completus.

42. *Quæ scientia requiritur in Episcopo?* ℟. Ut sit in Theologia vel Canonibus Doctor.

Vestes Sacerdotales.

43. *Quæ & quot sunt vestes Sacerdotales?* ℟. Esse sex sequentes: Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola per Crucem ante pectus, vel utrinque æqualiter deorsum pendens, Casula.

44. *Quando Sacerdos aptat Stolam in modum Crucis, à quo latere debet incipere ducere partem Stolæ?* ℟. Debet incipere ducere à sinistro ad dextrum, quia priùs fuit Diaconus, & postea Sacerdos.

45. *Quod brachium priùs vestit Sacerdos, dum in-*

induit Albam? ℟. Dextrum, tum quia id connaturaliùs eſt, tum quia creditur manus dextra Chriſti priùs fuiſſe cruci affixa clavô, quàm ſiniſtra.

46. *Quot & quæ ſunt ex his majores aut minores?* Reſp. Communiter tres cenſentur majores: Alba, Stola, Caſula ſeu Planeta. Tres minores: Amictus, Manipulus, Cingulum, inter quas Cingulum infimi gradus eſſe cenſetur.

47. *Habéntne hæ veſtes aliquam myſticam ſignificationem?* ℟. Habent triplicem: Tropologicam, Allegoricam, Anagogicam.

48. *Quæ eſt horum ſenſuum diverſitas?* ℟. Significatio Tropologica ſeu moralis refertur ad formationem ſeu reformationem vitæ aut morum. Allegorica exprimit aliquod ſacrum myſterium ſub figura vel metaphora rei ſignificatæ per voces. Anagogica refertur ad ea, quæ ſunt æternæ felicitatis.

49. *Quæ eſt ſignificatio Tropologica harum veſtium?* ℟. Amictus ſignificat fiduciam aut ſpem, qua Sacerdos debet accedere hoc ſacrificium. Alba puritatem & munditiam mentis & corporis cum ſplendore omnium virtutum. Cingulum, continentiam & caſtitatem. Manipulus cordis compunctionem, quaſi ſudarium geſtaretur ad abſtergendas lacrymas. Stola, obedientiam, quæ eſt jugum Chriſti ſuave. Caſula, ex omni parte rotunda & aperta, charitatem, quæ excellit omnes virtutes, eáſque protegit.

50. *Quæ est allegorica significatio de Passione Christi?* ℟. Amictus denotat linteum, quò facies Christi velata fuit; Alba vestem candidam, quâ illusus fuit; Cingulum flagellum vel funes; Manipulus funem, quô captus est Christus; Stola ligaturam ad columnam, vel Crucem; Casula vestem purpuream, quâ indutus fuit in domo Pilati.

51. *Quæ est Anagogica significatio de Christo Salvatore?* ℟. Amictus significat latibulum capitis, id est, Divinitatis in Christo. Alba Resurrectionis gloriam, vel novitatem, aut munditiam vitæ in Christo. Cingulum charitatem Christi, cujus extremitates duæ sunt: *Fecit & docuit.* Manipulus in leva beatitudinem Christi, qui viator & comprehensor erat. Stola obedientiam Christi. Casula Ecclesiam universalem, Christi vestem; posteriorem quidem partem antiqui testamenti, anteriorem novi.

52. *An simplex Sacerdos possit deferre annulum?* ℟. Id esse contra Canones c. de vita & hon. Cleric.

Potestas Sacerdotis simplicis.

53. *Datúrne Sacerdoti in ordinatione plena potestas in Corpus Christi mysticum?* ℟. Datur plena potestas Ordinis, non autem plena potestas jurisdictionis.

54. *Distinguitúrne ergo in Sacerdote potestas Ordinis à potestate jurisdictionis?* ℟. Sive dicas esse

esse distinctam, sive eandem quoad actum primum, sed impedibilem quoad actum secundum ab Ecclesia, parùm refert; cùm variæ sint in hac re Doctorum sententiæ, dummodo sentias cum Tridentino, potestatem jurisdictionis esse necessariam ad valorem absolutionis Sacramentalis, quæ cùm fiat per modum judicii, necessariò requirit ad valorem jurisdictionem. *Trid. sess. 14. c. 7.*

55. *Potéstne tamen simplex Sacerdos absolvere ab aliquibus peccatis?* R. Posse à venialibus & mortalibus jam priùs confessis ex praxi Ecclesiæ; cùm enim hæc peccata non sint materia necessaria, non est cur negetur in ea potestas.

56. *Hæc potestas in venialia éstne Juris Divini, vel Pontificii?* R. Probabiliùs esse solùm Juris Pontificii; si enim Juris Divini foret, non posset tolli à Pontifice in Excommunicato non tolerato, & degradato, in quibus tamen tollitur.

57. *An saltem in articulo mortis possit simplex Sacerdos absolvere à quibuscunque peccatis?* R. Posse, sicut potest etiam excommunicatus, suspensus, degradatus, etiam hæreticus remoto periculo scandali. *Ex Trid. sess. 4. c. 7.* In mortis articulo nulla est reservatio.

58. *Simplex Sacerdos absolvens in articulo mortis à reservatis, an debeat ad aliquid obligare pœnitentem?* R. Si non sit annexa excommunicatio reservata, non debet ullum onus imponere, præter debitam satisfactio-

nem

nem parti læsæ; si autem habeat conjunctam excommunicationem reservatam; tenetur imponere ei onus præsentandi se (si fieri potest) ei, cui facta est reservatio, dum primùm commodè poterit, nisi puer sit, aut habeat impedimentum perpetuum. *Cap. 22. eos qui de sent. Excom. in 6.* Putant quidem aliqui, quòd si convalescat, & parti læsæ satisfaciat, cesset obligatio se præsentandi. Verius tamen videtur contrarium, quia finis Canonis non est, ut absolvatur, vel satisfaciat parti, sed ut pœnam subeat, ut fiat cautior.

59. *An præsente Sacerdote habente ordinariam vel delegatam jurisdictionem, possit simplex Sacerdos absolvere moribundum?* Resp. Non posse, uti nec potest non toleratus, si adsit simplex Sacerdos; quia hæc facultas datur ratione necessitatis, ad subveniendum animarum periculis, quæ cessat, dum habens jurisdictionem adest: probabile nihilominùs est contrarium, quia simpliciter nulla est reservatio.

60. *Simplex Sacerdos debet scire formam absolutionis, quæ ergo est illa?* ℟. Ad essentiam esse requisita hæc verba: *Absolvo te.* Addenda tamen sunt ex Ecclesiæ consuetudine: *A peccatis tuis*, &c. Reliqua quæ præmittuntur & subsequuntur, sunt tantùm ad congruitatem.

61. *Quæ sunt materia absolutionis?* ℟. Materiam remotam esse peccata post Baptismum commissa; mortalia quidem neces-

ſariam, venialia verò, aut mortalia confeſſa ſufficientem.

62. *Quæ ſunt materia proxima?* ℞. Sunt actus Pœnitentis: Dolor, confeſſio & propoſitum.

63. *An non ſatisfactio etiam eſt materia Pœnitentiæ?* ℞. Illam eſſe tantùm partem integralem, non eſſentialem.

64. *Conſtitutus in articulo mortis, ſi dedit ſigna Pœnitentiæ, vel Confeſſarium petiit, debétne ſub conditione abſolvi?* ℞. Debere abſolvi ſine conditione, dummodo ſaltem per unius teſtimonium conſtet, eum dediſſe ſigna Pœnitentiæ.

CAPUT II.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

Ejus natura & eſſentia.

1.

Estne Euchariſtia verum Sacramentum? ℞. Quòd ſit. Eſſe definitum *in Flor. §. 5. Trid. ſeſſ. 7. c. 1. Carthag. Later. &c.* Ejus inſtitutio habetur apud Matthæum, Marcum, Lucam.

2. *Eſtne hoc Sacramentum à reliquis diverſum?* ℞. De hoc dubitari non poſſe, tum ex Conciliis citatis; tum quia non ſolùm partes

 eſſen-

essentiales; sed etiam finem institutionis diversum habet à reliquis.

3. *Estne hoc Sacramentum reliquis excellentius?* R. Esse, tum quia non tantùm significat & causat sanctitatem animæ creatam, sed continet in se ipsum sanctitatis authorem, tum quia est Sacramentum permanens, ac proinde etiam ante usum continet in se virtutem sanctitatis causativam.

4. *Quid est Sacramentum Eucharistiæ?* R. Est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis & vini, vi consecrationis factæ à Sacerdote, sub verbis certis, cum debita intentione prolatis supra panem & vinum, ex institutione Divina, veraciter significans Corpus Christi, & Sanguinem sub speciebus eorum realiter contineri, per modum cibi & potûs spiritualis, exhibiti in alimentum spirituale vitæ spiritualis Corpori Christi mystico manducanti, hoc est, Ecclesiæ.

5. *Verba consecrationis suntne pars essentialis hujus Sacramenti?* R. Sunt; quia *ex Flor. & Trid.* sunt forma hujus Sacramenti; forma autem ex iisdem Conciliis est de substantia Sacramentorum, aliunde species solæ sine verbis, nec præsentiam Corporis Christi, nec gratiam dandam sufficienter significant, ac proinde non possunt habere rationem integram Sacramenti.

6. *At nunquid Trident. agnoscit hoc Sacra-*

mentum consistere in speciebus consecratis; Sufficienter autem videntur intelligi consecrata per Corpus & Sanguinem Christi? ℞. Hanc consecrationem esse diversam ab illa, quam Concilia dicunt esse formam hujus Sacramenti, & quam in verbis constituunt.

7. *Quomodo verba transeuntia possunt constituere Sacramentum permanens?* ℞. Quamvis verba physicè transeant, manent tamen moraliter tum in effectu, tum etiam quatenus ex institutione Divina sunt irrevocabilia, quoad prolationem Sacramenti operativam, semel factam.

8. *Species panis & vini súntne etiam de essentia Sacramenti Eucharistiæ?* ℞. Affirmativè, *Cap. hoc est, de Consecr. dist.* 2. dicitur sacrificium nostrum constare visibili Elementorum specie, & invisibili JESU Christi carne. Aliunde cùm sit Sacramentum permanens, per nihil aliud potest reddi permanenter sensibile, quàm per ipsas species.

9. *Corpus & Sanguis Christi súntne constitutiva hujus Sacramenti?* ℞. Sunt; quia *in Capit. Ego Berengarius 42. dist.* 2. anathematizatur hæresis, quæ asserebat, panem & vinum, quæ in altari ponuntur post consecrationem, solummodò esse Sacramentum, & non esse verum Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi.

10. *Quomodo Corpus & Sanguis Christi possunt esse pars Sacramenti, cùm non sint signa*

sensibilia gratiæ dandæ? ℟. Dici posse, quòd vel reddantur sensibilia per species affectas verbis consecrationis; vel quòd sint pars Sacramenti, non quidem tanquam signa sensibilia gratiæ, sed tanquam ipsa virtus causativa gratiæ, cùm etiam hæc sit de essentia Sacramentorum Novæ Legis.

11. *An non substantia panis & vini, saltem ut terminus transiens, sit etiam de essentia hujus Sacramenti?* ℟. Non esse, quia nec tenet se ex parte materiæ, nec ex parte formæ, nec ex parte Corporis & Sanguinis Domini; aliunde etiam in aliis Sacramentis materia remota non est de essentia eorum.

12. *At nunquid Florentinum docet, materiam Sacramenti hujus esse Panem & Vinum?* ℟. Concilium enumerare materias etiam remotas Sacramentorum, quæ de eorum essentia non sunt.

13. *Estne etiam quasi unio Corporis Christi cum speciebus de essentia hujus Sacramenti?* ℟. Est, quia hoc Sacramentum non est solùm Corpus & Sanguis Christi, quomodocunque, sed ut contenta sub speciebus, quod habetur formaliter per dictam quasi unionem.

14. *An ergo etiam actio transsubstantiativa de ejus essentia erit?* ℟. Omninò; quia hoc Sacramentum prout de facto institutum, non est Corpus Christi quomodocunque unitum speciebus, sed prout unitum vi verborum; hoc autem formaliter dicit unionem esse vi ver-

verborum productam, sicut augmentatio non dicit quomodocunque unionem novam, sed dicit unionem productam vi activitatis formæ.

15. *Sumptio éstne de essentia hujus Sacramenti?* ℟. Non esse, quia hoc Sacramentum est permanens per modum cibi institutum, conficitúrque à solo Presbytero, cibum autem permanentem sumptio non constituit in esse cibi.

16. *An non saltem sumptio erit speciale Sacramentum, siquidem illâ positâ confertur gratia?* ℟. Non esse, quia nec habet propriam formam, nec effectum distinctum ab effectu ipsius Eucharistiæ, cui facta est promissio gratiæ: *Qui manducat me, ipse vivet propter me.*

17. *An ergo hoc Sacramentum operaretur gratiam, si sine sumptione miraculosè poneretur in stomacho?* ℟. Quid inde, si hoc concedatur? Sicut cibus naturalis nutriret, licèt sine sumptione poneretur in stomacho. Unde videtur sumptio de lege tantùm ordinaria requiri. Vel etiam dici potest, quòd sit de facto conditio necessariò requisita.

18. *Sed cur sumptio futura non potest essentialiter constituere hoc Sacramentum, siquidem verba præterita illud constituant?* ℟. Magnam esse diversitatem; quia positâ re præteritâ facilè potest intelligi Sacramentum habere omnes partes saltem moraliter existentes; at

verò nondum positis omnibus partibus non potest intelligi positum totum.

19. *An non sumptio saltem pars integralis dici possit hujus Sacramenti?* R. Negativè, sicut sumptio cibi corporalis non est pars integralis illius; Nec est ullum fundamentum ex Conciliis & Patribus hoc asserendi.

20. *Sacramentum Eucharistiæ contentum sub utraque specie éstne unum Sacramentum, vel duo?* R. Prout sic est unum Sacramentum, unitate specificâ, ac etiam individuali morali totali integraliter, quia Concilia vocant Sacramentum in singulari, aliunde est institutum ut alimonia, convivium & refectio, ex pane & vino constans, qualis refectio censetur una simplex totalitate morali integrali.

21. *An non sint saltem partialiter distincta Sacramenta?* R. Omninò, quia sunt realiter ab invicem separabilia, cùm de facto priùs consecretur panis, quàm vinum.

22. *An sint etiam specie incompleta distincta partialia Sacramenta?* R. Sunt, non tantùm materialiter, sed etiam formaliter; quia etiam quoad Symbolicam supernaturalem significationem species vini significant formaliter præsentiam Christi tanquam potus substantialis restinguentis concupiscentiam, & species panis, tanquam cibi substantialis roborantis animam, quæ est omninò diversa symbolica significatio.

23. *Quomodo ergo laici sub una specie totum Sa-*

Sacramentum recipiunt? ℟. Recipiunt totum quoad ſubſtantiam; quia ſub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus ſaltem concomitanter, etiamſi non recipiant totum quoad modum.

24. *Unde deſumenda eſt unitas vel pluralitas numerica hujus Sacramenti?* ℟. Quia hæc quæſtio tangit modum loquendi, ideo ſi hoc Sacramentum accipiatur pro eo, quòd eſt Sacramentum tantùm, ſcilicet pro ſpeciebus, totidem erunt Sacramenta, quot ſpecies diſtinctæ, quia concreta accidentalia multiplicantur ad multiplicationem ſubjectorum; in Sacramento autem ſic accepto ſubjectum denominationis ſunt accidentia. Si verò accipiatur pro eo, quod eſt dignius in hoc Sacramento, tunc ſub omnibus ſpeciebus debet dici eſſe unum tantùm Sacramentum, quia ſecundùm hanc acceptionem Corpus Chriſti importatur in recto in hoc Sacramento tanquam loco ſubſtantiæ panis, quaſi ſuſtentans accidentia; cùm igitur rectum in hoc Sacramento ſic accepto non multiplicetur, unum dici debebit Sacramentum.

25. *Eſtne hoc Sacramentum neceſſarium, neceſſitate medii ad ſalutem?* ℟. Negativè, quia per ſe inſtitutum non eſt ad primam gratiam conferendam.

Materia Sacramenti Corporis.

26. *Quæ eſt materia Sacramenti Corporis Chri-*

Christi loquendo de materia remota? ℟. *Ex Florent. in Decreto Eugenii, §. tertium*, est panis triticeus, quia Christus consecravit in pane, sine addito; qualis solus triticeus vocatur.

27. *An debeat esse panis azymus, vel fermentatus?* ℟. Utrumque esse materiam certam: at Ecclesia Latina ex præcepto solum azymum, Græca solum fermentatum consecrat.

28. *Qui consecrationem panis facere intendit, juxta mentem Ecclesiæ, an consecret panem fermentatum per errorem appositum, cùm Ecclesia prohibeat Latinis illum consecrare?* ℟. Affirmativè, quia Ecclesia prohibet, illum scienter consecrare, non autem irritat consecrationem ejus.

29. *Massa cruda éstne materia sufficiens?* ℟. Non esse, quia quamvis substantialiter vix differat à pane cocto, tamen panis usualis non est, nec vocatur propriè panis.

30. *An panis madefactus vino vel aquâ sit consecrabilis?* ℟. Esse, quia adhuc remanet panis.

31. *An etiam panis, qui bis coctus vocatur?* ℟. Et ille est, quia iterata coctio illum non extrahit ab usuali pane.

32. *Panis ex hordeo, avena, farre, fabis, amygdalis, pisis, lentibus, castaneis, cicere, &c. éstne materia sufficiens?* ℟. Nullo modo; quia non sunt panis simpliciter usualis,

lis, & per ſe, ſed tantùm in defectu veri panis ex tritico.

33. *Panis triticeus aquâ roſaceâ, butyro, melle, alióque artificiali liquore confectus, ēſine ſufficiens?* ℞. Non eſſe, quia non eſt panis ſimpliciter & uſualis.

34. *An panis triticeus tinctus colore rubro, qualis adhibetur pro obſignandis literis, ſit ſufficiens?* ℞. Eſſe materiam ad ſummum tantùm dubiam; quia etiamſi phyſicè tantùm accidentaliter mutetur, quia tamen panis uſualis vix cenſeri poteſt, ideo moraliter videtur ſubſtantialiter mutari.

35. *Quid autem de pane ſiligineo?* ℞. Et hunc eſſe materiam dubiam propter diverſas opiniones Authorum, aliquorum exiſtimantium, ſiligineum ſpecie differre à triticeo; aliorum vix illum à triticeo diſtinguentium.

36. *Si pani triticeo ſit immixta alterius ſpeciei farina, éſtne conſecrabilis?* ℞. Si mixtio ita ſit facta, ut adhuc maneat panis triticeus, conſecrabilem eſſe, ſecùs non.

Materia calicis.

37. *Quæ eſt materia remota Calicis?* ℞. Ex eodem *Flor. & Trident. vinum de vite.*

38. *Eſtne par ratio, ſive ſit rubrum, ſive ſit album?* ℞. Eſſe omninò parem rationem, quia etſi ſpecie phyſica differant, ſpecie tamen morali non differunt; quia utrumque eſt vinum de vite.

 39. *An*

39. *An mustum sit materia sufficiens?* ℞. Est, quia in substantia est vinum, & quidem potabile, quamvis non sit plenè purgatum & decoctum.

40. *Vinum actu congelatum éstne materia sufficiens?* ℞. Est, ex mente Tamburini, quia ex se & natura sua est potabile.

41. *An etiam vinum miraculosè creatum?* ℞. Esse & illud, quia est usuale, & saltem in actu primo de vite.

42. *Quid de vino ex pomis, vel aliis rebus expresso?* ℞. Esse materiam simpliciter ineptam, quia nec sunt vinum, nec potus usualis.

43. *An succus adhuc in uvis existens probabiliter indistinctus specie à musto?* ℞. Non esse sufficientem materiam; quia in hominum æstimatione potiùs cibus, quàm potus est.

44. *Vinum imbibitum in pane, an sit sufficiens materia?* ℞. Est valde dubia, quia non potest de illo absolutè dici, hoc est vinum, sed potiùs, hic est panis, habétque similitudinem cum musto in uva existente.

45. *An succus ex uvis passis expressus sit materia sufficiens?* ℞. Cum Tamburino, probabiliùs non esse; quia adeò siccus & decoctus est, ut nullam vini vel musti potabilitatem servet.

46. *Quid sentiendum de vino aromatibus condito?* ℞. Nisi fiat valdè modica mixtio, esse prorsus dubiam materiam; quia dubium est, an non amittat denominationem vini usualis.

47. *Quid autem de vino, quod jam acescit?* ℞.

Pariter dubiam materiam esse, quia dubitari potest, an non prorsùs sit vinum corruptum, & in acetum transierit.

48. *Quid de vino ex agresta & uvis immaturis expresso, de vino adusto, vappâ, lorâ?* ℟. Non esse materiam sufficientem, quia hæc omnia non sunt vinum.

49. *Debétne vino consecrando aqua misceri?* ℟. Debet, *ex Flor. & Trid.* Quia & de Christo Domino habetur per traditionem, quòd in ultima cœna vinum aquâ miscuerit.

50. *Estne hac mixtio de necessitate Sacramenti?* ℟. Non esse, patet ex modo loquendi dictorum Conciliorum.

51. *At Christus mixtum aquâ vinum consecravit, igitur ita instituit, & fieri præcepit, dum dixit:* Hoc facite? ℟. Non omne, quod Christus fecit, instituit; Consecravit etiam post cœnam in pane azymo, in vino albo, & tamen non instituit; dicendo autem: *Hoc facite*, præcepit substantiam actionis, non verò omnes circumstantias, quas ipse adhibuit.

52. *Unde ergo habetur hac necessitas mixtionis?* ℟. Ex solo præcepto Ecclesiæ, isque est communis Ecclesiæ sensus.

53. *An sit peccatum grave omittere hanc mixtionem?* ℟. Esse; quia licèt quantitas aquæ miscendæ sit levis, ejus tamen significatio & mysterium est grave, cùm repræsentet aquam è latere Christi fluentem, & unionem Ecclesiæ cum Christo.

54. *Convertitúrne aqua vino mixta immediatè in Sanguinem Christi?* ℞. Affirmativè; quia de toto eo, quod est in calice, & constituit vinum usuale, dicitur: *Hic est Sanguis meus.* Totum igitur debet vi verborum converti in sanguinem.

Præsentia materiæ.

55. *Qualis præsentia materiæ consecrandæ requiritur ad validam ejus consecrationem?* ℞. Talis, ut per pronomen: *Hoc*, vel *Hic*, independenter à discursu, vel nutibus, juxta genuinam ejus significationem, cum veritate demonstrari possit.

56. *An ergo panis & vinum distantia à Sacerdote interjectô pariete, aut post tergum existentia, vel in sacrario reclusa, vel reposita ad proximam mensulam, hostia sub mappa, sub corporali, in Missali existens, validè consecrentur?* ℞. Futuram saltem dubiam consecrationem ob contrarias opiniones Authorum, ac proinde prorsùs illicitam; quia dubium est, an per pronomen *hoc*, vel *hic* genuinê demonstrari possint.

57. *An hostia in ciborio clauso, & vinum in calice cooperto validè consecrari possit?* ℞. Posse, quia secundùm communem usum loquendi, solet res contenta per immediatè continentem significari.

58. *An hostia sub altera existens, quæ non videtur, consecrari possit?* ℞. Potest; quia ex com-

communi usu adhuc cum veritate demonstratur per pronomen *Hoc*, vel *Hic*.

Quantitas materiæ.

59. *Quantitas materiæ tam magna, ut tantùm secundùm aliquam sui partem sit præsens Sacerdoti, v. gr. vinum in magno dolio, an tota consecrari possit?* ℞. Quantacunque sit materiæ quantitas continuata, dummodo juxta communem usum tota genuinè demonstrari possit pronomine *hoc*, vel *hic*, consecrari poterit, si secundùm partem sit præsens.

60. *Debétne materia consecranda esse determinata?* ℞. Debet etiam ex intentione ministri, aliàs hoc ipso non cum veritate illam demonstraret per pronomen *Hoc* vel *Hic*.

Determinatio materiæ.

61. *Si quis mediam partem hostiæ, vel inter plures hostias sex tantùm velit consecrare, an validè sit consecraturus?* ℞. Si intentio feratur in dimidiam partem determinatam, vel in sex determinatas & designatas hostias, fore validam; non fore autem, si feratur in illas indeterminatè, quia in priori casu cum veritate potest per pronomen *Hoc* demonstrari materia, non autem potest in casu posteriori.

62. *Si sacerdos putans se unam hostiam habere in manu, habeat duas vel tres conglutinatas, & proferat verba consecrationis, an consecret*

omnes tres? ℟. Si habeat intentionem absolutam consecrandi id, quod manibus tenet, consecrabit omnes, quia effectus consecrationis sequitur intentionem, non verò existimationem consecrantis. Aliud esset, si intenderet tantùm unam, quam videt, consecrare.

63. *Si Sacerdos intenderet in Hostia primam partem, aut ultimam partem proportionalem, primam aut ultimam dimidiam consecrare, an aliquid consecraret?* ℟. Nihil consecraturum suppositâ divisibilitate continui in infinitum; quia vi talis intentionis nulla fieret determinatio partis consecrandæ.

64. *Qui intenderet consecrare Hostiam illam ex pluribus, quam Deus consecratam vult, an aliquid consecraret?* ℟. Nihil consecraturum; quamvis DEUS revelaret, quam designet; quia vi talis intentionis præcisè non posset Sacerdos determinatè demonstrare hostiam consecratam.

65. *Si Hostiam unam non consecratam, immixtam pluribus Hostiis priùs consecratis, vellet quis consecrare, sufficerétne talis intentio, quâ diceret: Volo consecrare illam, quæ non est consecrata?* ℟. Probabiliùs non sufficeret, quia vi illius intentionis nulla determinatè demonstraretur.

66. *Qualis ergo tunc intentio deberet haberi?* ℟. Talis: Volo has omnes consecrare sub conditione, si non sunt consecratæ.

67. *Foréntne autem necessarium omnes sub con-*

conditione consecrare propter unam non consecratam? ℟. Si Sacerdos sciens unam esse immixtam, haberet tot communicantes, ut binas cuilibet dando posset omnes distribuere, deberet potiùs sic distribuere (factâ præmonitione, quòd licitum sit, duas simul sumere; & ut non intendant absolutè totum id adorare, sed tantùm quod re ipsâ consecratum est) quàm de novo sub conditione omnes consecrare.

68. *Quid si autem plures non consecratæ forent immixtæ consecratis?* ℟. Tunc omnes sub conditione consecrandas esse, quia ex una parte non possent sine magna incommoditate singulis communicantibus plures simul porrigi, ex altera parte aliqui fraudarentur Sacramentô, & adorarent Hostiam non consecratam.

69. *At nunquid Sacerdos potest offerre sacrificium pro eo, quem DEUS designaverit? Cur ergo non posset consecrare Hostiam, quam DEUS designaverit?* ℟. Magnam esse diversitatem, quia in consecratione vi modi significandi formæ, debet posse materia determinata demonstrari, quod non requiritur in oblatione.

70. *Si quis ex hostiis imparibus velit solam mediam hostiam consecrare, nesciens quæ sit illa, an aliquid consecrabit?* ℟. Prorsus nihil ex ratione sæpiùs repetita.

71. *Cur ergo potest Sacerdos absolvere cum intentione tendente solùm in illa peccata ex plu-*

ribus confessis, de quibus dolet Pœnitens? ℞. Quia in Sacramento Pœnitentiæ per formam non ipsa peccata, sed persona determinatè significatur. In peccatis igitur sufficit quæcunque designatio eorum sub aliquo prædicato, quod reipsa illis inest, quamvis ministro non sit notum.

72. *An Panis & Vinum sint consecrabilia in quacunque minima quantitate?* ℞. Posse consecrari in quacunque minima, dummodo sit naturaliter perceptibilis; quia est demonstrabilis: secùs si non sit perceptibilis naturaliter, ex opposita ratione.

73. *Cur ergo ex Hostia consecrata, si particula nullo etiam sensu perceptibilis decidat, adhuc consecrata manet?* ℞. Quia *Trid. sess. 13. can. 3.* Anathema dicit illi, qui negaverit, sub singulis cujuscunque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri. Neque requiritur in Hostia jam consecrata demonstrabilitas, sicut requiritur in consecratione ob veritatem verborum.

Necessitas utriusque speciei.

74. *Estne de necessitate Sacramenti Eucharistiæ, ut reipsa consecretur utraque species?* ℞. Negativè; quia verba consecrationis panis habent suum effectum ante consecrationem vini, & statim adoratur panis consecratus. *Cap. sane de celebr. Miss.*

75. An

75. *An eadem consecratio utriusque speciei sit saltem de necessitate sacrificii?* ℟. Est; quia aliàs non haberetur explicita repræsentatio cruenti sacrificii per effusionem seu separationem sanguinis à corpore Christi facta. *Trid. sess. 22. c. 1.*

76. *An non saltem per Papæ dispensationem posset fieri sacrificium per consecrationem unius speciei?* ℟. Negativè, quia est indispensabile, ut sine eo, quod est de essentia sacrificii, fiat sacrificium.

77. *Cur nequit dici, quòd Christus instituerit duo partialia sacrificia, sicut duo partialia sacramenta Eucharistiæ; ac proinde sicut poterit aliquando sacramentum partiale confici, ita fieri etiam sacrificium partiale?* ℟. Nullum esse vestigium talis institutionis, quia Christus sacrificium hoc voluit fieri, per explicitam mysticam corporis & sanguinis sui separationem, quæ fieri nequit sine utraque specie. Sacramentum verò instituit per modum alimenti spiritualis; utraque autem pars habet rationem alimenti.

78. *At nunquid sufficienter exprimitur separatio corporis & sanguinis, si vi verborum ponatur vel solum corpus, vel solus sanguis Christi?* ℟. Fore quidem aliquam expressionem separationis, non tamen illam explicitam, quam Christus fieri voluit, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

79. *Ad conficiendam Eucharistiam ut Sacramen-*

mentum est, requiritúrne saltem implicita voluntas consecrandi utramque speciem? ℞. Mihi veriùs videri, quòd requiratur; quia Christus hoc Sacramentum ita instituit, ut ejus confectio indivisibiliter esset sacrificatio, siquidem voluit ita fieri, sicut ipse fecit; cùm igitur sacrificatio fieri nequeat sine utraque specie, neque voluntas sacrificandi erit sufficiens, nisi sit voluntas conficiendi sub utraque specie, consequenter etiam voluntas conficiendi hoc Sacramentum debebit esse de consecranda utraque specie.

Forma Sacramenti Eucharistiæ.

80. *An verba illa:* Qui pridiè quàm pateretur, &c. *sint de necessitate Sacramenti Eucharistiæ?* ℞. Non esse, quia Concilia & Patres docent, hoc Sacramentum confici per verba Christi, qualia non sunt verba illa.

81. *An illa verba:* Accipite & manducate, *pertineant ad formam hujus Sacramenti?* ℞. Non pertinere, tum quia apud Lucam nec habentur, tum quia *à Concilio Flor. & Trid.* non ponuntur pro forma, tum quia sunt tantùm præceptiva sumptionis.

82. *An particula,* enim, *sit de hujus formæ essentia?* ℞. Negativè, tum quia nec à Luca, nec à Paulo ponitur; tum quia est particula tantùm connectens subsequentia cum antecedentibus.

83. *Súntne verba:* Quod pro vobis tradetur, *de essentia formæ?* ℟. Non esse; tum quia non omnes Evangelistæ habent; tum quia constat ex usu Ecclesiæ non adhibentis illa verba.

84. *Quæ ergo est forma essentialis Sacramenti Corporis Christi?* ℟. Hæc sola verba: *Hoc est Corpus meum, ex Flor. sæpè citato.* Et Tridentinum ex veritate illorum verborum colligit præsentiam Corporis Christi.

85. *Quæ est essentialis forma sanguinis Christi?* ℟. Hanc esse: *Hic est Sanguis meus*; tum quia variæ liturgiæ omnes habent hæc verba, in reliquis verò verbis variant; tum quia ex istis satis intelligitur præsentia sanguinis Christi sub speciebus.

86. *Cùm Eucharistia non solùm sit Sacramentum, sed etiam sacrificium, videntur ad significandam effusionem sanguinis necessaria esse saltem illa verba:* Qui pro vobis effundetur? ℟. Hæc verba significare solùm effusionem sanguinis Christi in Passione; effusionem verò Sacramentalem sufficienter significant illa verba: *Hic est Sanguis meus*, vi quorum, hôc ipsò quòd formaliter solus sanguis ponatur, intelligitur separatus à corpore.

87. *Quis est sensus verborum formæ hujus Sacramenti?* ℟. Hunc esse: Hoc edulium est corpus meum, hic potus est sanguis meus; vel hoc contentum sub speciebus est corpus meum, sanguis meus.

Actio

Actio conversiva.

88. *Fitne in Sacramento Eucharistiæ vera conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi?* ℟. Fieri, ex definitione *Concilii Trident. sess. 13. c. 4. & Can. 2.* eámque transsubstantiationem vocari.

89. *Qualis est hæc actio conversiva, seu transsubstantiativa?* ℟. Esse conservativam accidentium sine subjecto, & simul alligativam, vel quasi unitivam accidentium cum corpore aut sanguine Christi; sic enim optimè salvatur, quomodo fiat transitus totius substantiæ in aliam substantiam, remanente tertio communi utrique substantiæ; & quomodo corpus Christi succedat substantiæ panis in munere sustentandi accidentia.

90. *Quid est in hoc mysterio, substare accidentibus?* ℟. Id in duobus consistere; nimirum in allegatione & quasi unione corporis Christi ad accidentia; & simul in causalitate morali corporis Christi in eadem accidentia conservanda sine subjecto.

91. *Qualis est hæc quasi unio seu allegatio?* ℟. Dici posse, quòd sit ipsa actio conservativa accidentium, ex natura sua exigens, ut ubicunque ponantur accidentia, ibi ponatur Corpus Christi.

92. *Desinitne tota substantia panis & vini sub speciebus consecratis?* ℟. Esse de fide, quòd desinat.

93. *An post consecrationem panis & vini realiter sit totus Christus præsens sub speciebus panis & vini?* ℞. Omninò esse, idque definitum est *in Trid. sess. 13. Can. 1.* contra Hæreticos.

94. *An sit totus Christus etiam sub qualibet specie?* ℞. Nec de hoc dubitari posse salvâ fide.

95. *Ponitúrne autem totus Christus sub qualibet specie vi verborum consecrationis?* ℞. Vi verborum formaliter sub speciebus panis ponitur solum corpus, & sub speciebus vini solus sanguis, utpote quæ sola significantur formaliter.

96. *Quomodo ergo ponuntur reliqua?* ℞. Ponuntur solùm concomitanter, qualiter sub utravis specie ponitur, quidquid cum corpore vel sanguine Christi habet aut unionem physicam, aut connexionem naturalem.

97. *In quo fundatur hæc concomitantia?* ℞. Eam fundari, vel in unione physica, vel in connexione naturali. *Ex Trid. cit.* Unionis siquidem natura est, ita connectere extrema, ut ea durante necesse sit quodlibet extremum, ubicunque ponatur, trahere secum alterum extremum.

98. *Quid significatur per ly corpus in hoc Sacramento?* ℞. Conformiter ad doctrinam Philosophorum significari materiam organizatam, aut organizatione tantùm accidentali, aut etiam substantiali, sive per animam ratio-

nalem, sive per formam cadavereitatis indeterminatè.

99. *Quomodo existit Christus sub his speciebus?* R. Non existere circumscriptivè, ita ut singulæ partes sint extra se invicem positæ, & singulæ distinctum spatium occupent; sed definitivè hoc sensu, quòd totus sit sub tota Hostia, & totus sub qualibet parte Hostiæ, sive divisæ, sive conjunctæ.

Effectus hujus Sacramenti.

100. *Requiritúrne ad effectum hujus Sacramenti consequendum aliqua actualis devotio?* R. Non requiri; quia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem, supposito autem statu gratiæ privatio devotionis non est obex.

101. *An hoc Sacramentum causet gratiam, quamdiu in stomacho perseverat?* R. Omninò causare, si adsit augmentum novæ dispositionis; cùm enim institutum sit per modum cibi corporalis, & maneat in eo virtus prior; sicut cibus corporalis operatur, quamdiu est in stomacho, ita & hoc Sacramentum.

102. *Sed cur requiritur nova dispositio?* R. Quia ex doctrina *Tridentini* Sacramenta conferunt gratiam secundùm cujusque dispositionem; cùm igitur nova dispositione non accedente, non adsit nova determinatio Sacra-

menti ad novum effectum producendum, cum non producet.

103. *Si hoc Sacramentum operatur per modum cibi corporalis, ergo sicut cibus, ita illud operabitur primò, postquam corruptum est?* ℟. Esse hanc diversitatem inter cibum Sacramentalem & corporalem, quòd iste prosit per sui conversionem in alitum, & quasi patiendo, ille verò prosit agendo, & in se convertendo alitum, adeoque aget, quamprimùm applicatur.

104. *Cur autem requiritur pro sequentibus instantibus nova dispositio, siquidem pro primo instanti nulla actualis necessaria est?* ℟. Quia in primo instanti non habitô obice, producit totum effectum, quem potest; ut igitur in sequentibus instantibus plus aliquid agat, indigebit novâ aliquâ determinatione, quæ fit per novam dispositionem subjecti.

105. *Cur non posset dici, quòd ipsa gratia in primo instanti data, sit dispositio ad augmentum gratiæ in sequenti instanti danda?* ℟. Ideo, quòd id, quod datur intuitu hujus Sacramenti, non possit esse dispositio ad effectum ejusdem. Sicut id, quod datur in præmium meriti, non potest esse dispositio ad præmium intuitu ejusdem meriti dandum.

106. *At nunquid si quis hodie sumptam Eucharistiam rejiceret, eandémque cras iterum sumeret, gratia per illam hodie data, foret*

dispo-

diſpoſitio ad gratiam cras dandam per eandem? Cur igitur idem dici nequiret in priori caſu? ℟. Eſſe hanc diverſitatem, quòd in priore caſu foret nova manducatio & applicatio, adeoque & novus effectus, in altero autem nova applicatio non eſſet.

107. *Si hoc ſacramentum producit effectum, quamdiu durat in ſtomacho, utiliùs igitur erit, illud in majori quantitate ſumere, quàm in minori?* ℟. Erit utiliùs per accidens, quatenus plures diſpoſitiones ſunt ponibiles; non autem per ſe præcisè propter diuturniorem durationem.

108. *An hoc ſacramentum fictè ſuſceptum reviviſcat ſublatô obice ad ponendum ſuum effectum:* ℟. Reviviſcere; ſi enim Baptiſmus reviviſcit, cur non etiam hoc reviviſceret?

109. *An reviviſcat etiam, poſtquam ſpecies corruptæ ſunt?* ℟. Probabiliùs non reviviſcere, niſi durantibus adhuc in ſtomacho ſpeciebus; cùm enim Sacramentum hoc permanens ſit, poſſitque tolli obex adhuc durantibus ſpeciebus, non videtur fuiſſe tanta neceſſitas aut congruentia illud ita inſtituendi, ut reviviſceret etiam poſtquam phyſicè pertranſiit, ſicut in aliis Sacramentis, quæ in actione tranſeunte conſiſtunt. Et id conformiùs etiam eſt, ad naturam Extremæ Unctionis & Matrimonii, quorum illa non reviviſcit, juxta communem, niſi durante eôdem morbô, hoc verò durante eodem matrimonio.

110. *Confertúrne per utramque speciem continuatim sumptam, major gratia, quàm per unam tantùm?* ℞. Cum communi negativè, sicut nec duæ Hostiæ, si continuatim sumantur, plus gratiæ conferunt, quàm una per se loquendo. Et certè, cùm æquè sit totus Christus sub una specie, ac sub altera, & in Scriptura uni speciei idem effectus tribuatur, qui utrique, *v.g. vita æterna, mansio in Christo, &c.* non est ratio dicendi, quòd utraque plus conferat, quàm una.

111. *Estne remissio peccatorum venialium effectus hujus Sacramenti?* ℞. Est, quia *Trid. sess. 13. c. 3.* dicit: *Per illud condonari leviora peccata.* Et cùm sumatur per modum alimenti spiritualis, restaurabit utique ruinas quotidianarum imperfectionum; sicut aliquando corporale reparat id, quod calore nativô consumitur.

112. *Præservatio à mortalibus éstne effectus hujus Sacramenti?* ℞. Omninò, *ex Trid.* quia confert gratiam abundantiorem, replet animam dulcedine, fugat dæmones, dat specialia lumina, diminuit fomitem & concupiscentiam.

113. *An per hoc Sacramentum remittatur ex opere operato pœna temporalis?* ℞. Negativè; quia hujus virtutis nullum est indicium; & cùm sacrificium ordinetur ad remissionem pœnæ temporalis, non erat necesse ad eundem effectum ordinari sub nomine Sacramenti.

114. *An adeptio gloriæ sit effectus hujus Sacramenti?* ℟. Esse aliquô modô, juxta illud: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Utì & dulcedo actualis, *Ps. 67. Parâsti in dulcedine tua pauperi DEUS.* Et resurrectio corporum, &c.

Sacrificium.

115. *Sacramentum Eucharistiæ habétne simul rationem sacrificii?* ℟. Esse de fide, quòd habeat, inde vocatur Sacrificium Missæ, in qua conficitur hoc Sacramentum.

116. *In quo consistit essentia Sacrificii Missæ?* ℟. Veriùs in sola consecratione utriusque speciei; cùm illi sufficienter conveniant omnia, quæ requiruntur ad verum sacrificium, etiamsi non physicè destruatur res oblata, sed tantùm moraliter, quatenus fit cibus & potus spiritualis ex corpore & sanguine Christi. Sicut etiam manducatio victimarum non pertinebat ad rationem sacrificii.

117. *Quale est hoc sacrificium, quantum ad fines, ob quos offertur?* ℟. Esse *Latreuticum,* sive laudis; *Eucharisticum,* sive gratiarum actorium; *Propitiatorium, satisfactorium, impetratorium;* denique complectitur perfectiones omnium sacrificiorum Veteris Legis. Ex *Trid. sess. 22. cap. 2. Can. 3.*

118. *An ergo hoc sacrificium erit immediatè deletivum peccatorum mortalium?* ℟. Tan-

Tantùm mediatè, impetrando auxilia ad actum pœnitentiæ, per quem peccator disponitur ad remissionem peccatorum. Tridentinum enim citatum c. 2. ait: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum Pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Nec multum valeret Sacramentum pœnitentiæ, si hoc sacrificium immediatè ex opere operato deleret mortalia.

119. *Si hoc sacrificium per vim impetratoriam auxilii delet peccata, quomodo ergo est propitiatorium?* ℟. Per vim impetratoriam movet quidem liberalitatem Divinam ad conferenda dicta auxilia; at per vim propitiatoriam movet clementiam DEI, ut (sicut Trid. loquitur) hâc oblatione placatus Dominus det ex liberalitate dicta auxilia.

120. *Quomodo fit hæc placatio Divinæ clementiæ per hoc sacrificium?* ℟. Quatenus repræsentat DEO sacrificium Crucis applicatum illi, pro quo sacrificium Missæ offertur; atque adeò etiam sanguinem Christi fusum pro remissione peccatorum ipsius, & proinde exigentem remissionem peccatorum, & prævie necessaria auxilia, & donum pœnitentiæ pro eo, pro quo offertur.

121. *An hoc sacrificium conferat etiam augmentum gratiæ ex opere operato?* ℟. Minimè, quia hujus virtutis nullum est indicium. hicque effectus est proprius Sacramentorum; & aliàs posset etiam primam gratiam saltem

per accidens conferre; posséque utiliter offerri pro infantibus, pro augmento gratiæ.

122. *An & quomodo venialia deleat?* ℞. Delere etiam illa tantùm mediatè, siquidem Tridentinum nullam diversitatem facit inter mortalia & venialia respectu hujus Sacrificii.

123. *Confertúrne vi hujus sacrificii auxilium actuale ad pœnitendum infallibiliter?* ℞. Omninò; si enim sacrificia expiatoria Veteris Legis habuerunt infallibilem effectum, quantò magis istud, quod aliunde deletionem pœnæ etiam infallibiliter infert, ut mox dicemus.

124. *At numquid hoc auxilium semper est efficax?* ℞. Experientiâ nos doceri, quòd non semper; & aliunde si foret semper efficax, jam donum perseverantiæ finalis haberetur ex Lege DEI infallibili oblatô hôc sacrificiô.

125. *An etiam remissio pœnæ temporalis debitæ ob culpas remissas sit effectus hujus sacrificii?* ℞. Quòd sit; siquidem Tridentinum asserit, illud prodesse vivis & defunctis; defunctis autem non potest prodesse, nisi quoad remissionem pœnarum. Aliunde idem Concilium expresse pœnarum deletionem ponit inter effectus.

126. *An hæc pœnæ remissio sit immediatus & infallibilis effectus?* ℞. Id omninò sentiendum; cùm etiam Veteris Legis sacrificia haburint

buerint vim immediatam & infallibilem purgandi à sordibus.

127. *Quomodo ergo non habet vim immediatè delendi etiam ipsa peccata?* ℟. Concilium quoad deletionem peccatorum clarè dicit, illam vi sacrificii fieri solùm mediantibus auxiliis.

128. *An sacrificium prout impetratorium bonorum temporalium, vel aliorum donorum spiritualium habeat infallibilem effectum?* ℟. Negativè, id, quod experimur quotidie; aliunde hæc bona sæpè non conducunt ad salutem.

129. *Participántne aliquem fructum hujus sacrificii ex opere operato omnes, qui aliquo modo illud offerunt, v. g. ministrans, audiens, dans eleemosynas? &c.* ℟. Id esse valde probabile; cùm enim oblatio sacrificii fructuosa sit, verosimile est, quòd omnes moraliter ad illud concurrentes fructum ejus participent; idque est pro dignitate hujus sacrificii. Durum etiam esse videtur, ut audiens Missam non plus fructus participet ex opere operato, quàm non audiens, dum sacerdos illam pro utroque offert.

130. *An possit sacrificium offerri pro infidelibus non baptizatis?* ℟. Per modum impetrationis posse; quia impetratio non respicit immediatè personam, cui confertur res impetrata, sed illam, quæ postulat. Et si potest sacrificium per modum impetrationis offerri pro

rebus inanimatis, uti pluvia, &c. cur non pro infidelibus?

131. *An possit offerri pro excommunicatis?* ℟. Pro non vitandis posse; quia Conc. Const. concedit communicationem cum excommunicatis toleratis in quibuscunque Divinis. Oppositum sentiendum de non toleratis.

132. *An pro animabus purgatorii?* ℟. Quòd posśit, satis clarum esse ex Trident. quod vult offerri pro vivis & defunctis.

133. *An etiam pro damnatis, aut Sanctis?* ℟. Pro illis nec utiliter, nec licitè offerri posse, quia in inferno nulla redemptio; Sancti verò non indigent. Cæterùm in honorem Sanctorum offerri consuetum est in Ecclesia DEI.

134. *Ad percipiendum fructum sacrificii an requiratur in eo, pro quo offertur, specialis devotio?* ℟. Negativè; quia talis habet se purè pasśivè, & non activè.

135. *An tamen ex meliori dispositione illius, pro quo offertur, crescat effectus remissionis pœnæ?* ℟. Affirmativè, maximè à paritate Sacramentorum pro mensura dispositionis gratiam conferentium.

136. *Estne necessarium ad percipiendum fructum sacrificii ab altero, ut fiat ejus applicatio à Sacerdote?* ℟. Id omninò necessarium esse; quia sacrificium est de se indifferens, ut huic, vel alteri prosit; debet igitur determinari per applicationem.

137. An

137. *An ſacrificium tantundem proſit ſingulis, dum pro pluribus offertur, quàm ſi pro uno tantùm offeratur?* ℞. Negativè; quia ex uſu Eccleſiæ uni defuncto una Miſſa applicatur. Aliàs unico ſacro poſſet totum purgatorium evacuari; & pro unico ſacro etiam centum ſtipendia accipi.

138. *At nunquid hoc ſacrificium eſt valoris infiniti?* ℞. Non eſſe; quia cùm Chriſtus voluerit hoc ſacrificium ſæpiùs iterari, congruum erat, ut non tribueret illi vim infinitam; ſecùs, ac habuerit ſacrificium Crucis, quod non ampliùs erat iterandum, quod proinde debuit eſſe per modum cauſæ univerſalis ad omnes effectus.

139. *Cur autem hoc ſacrificium, ſi ſimul à pluribus offeratur, ſingulis æqualiter proderit; non autem pluribus, pro quibus ſimul offertur?* ℞. Quia quilibet Sacerdos cum altero ita offert, ac ſi ſolus offerret; proinde cuilibet ita proderit, ac ſi ſolus offerret; reſpectu autem eorum, pro quibus offertur, habet ſe per modum unius actionis pluribus terminis applicatæ, ideoque fructum diviſibilem communicantis.

140. *Quare ergo Sacramentum idem, ſi pluribus applicari poſſet, æqualiter ſingulis prodeſſet, ac ſi uni tantùm applicaretur?* ℞. Ideo; quia Chriſtus ita inſtituit, & applicatio, ſeu ſuſceptio Sacramenti in ſingulis ſemper diverſa eſt.

141. *Si sacrificium, quando pluribus applicatur particulari intentione, non tantum prodest singulis, quantum si uni tantùm applicaretur; ergo idem dicendum erit in casu, quo generali intentione pluribus applicaretur?* ℟. Ita omninò sentiendum; siquidem in Concil. Constant. damnata est propositio Wiclefi, quòd *Speciales orationes applicatæ uni personæ, non plus prosint, quàm generales.*

CAPUT III.

De Missa, & ad eam pertinentibus.

Rubricæ Missalis.

1.

Quid est Rubrica Missalis? ℟. Est Regula communis, continens Ritus in celebratione Missarum observandos.

2. *Cur vocatur Rubrica?* ℟. Quia plerumque rubro colore scribi solet.

3. *Quotuplex est generatim Rubrica?* ℟. Duplex: Alia est præceptiva, obligans in conscientia ad servandos ritus in ea præscriptos. Alia directiva tantùm, proponens per modum consilii & instructionis, quid sit agendum.

4. *Rituum nomine quid intelligitur?* ℟. Omnes circumstantiæ requisitæ ad Missæ celebrationem & solennitatem, sive sint verba, sive actiones, seu vestes, seu vasa.

5. *Ritus in genere quotuplices sunt?* ℟. Alios esse essentiales, qui sunt de necessitate sacrificii & Sacramenti. Alios accidentales, qui pertinent ad ornatum tantùm, possúntque esse de necessitate præcepti, non verò de necessitate Sacrificii, vel Sacramenti.

6. *Qui sunt essentiales, & qui accidentales?* ℟. Essentiales consistunt in consecratione, vel etiam communione. Accidentales verò in actionibus, precibus, aliísque circumstantiis ab Ecclesia adjunctis, quæ dicuntur Sacramentalia & Cæremoniæ.

7. *Quæ est causa formalis Rubricarum?* ℟. Est significatio verborum certos ritus præscribentium.

8. *Quotuplex est hæc significatio?* ℟. Est duplex: Alia literalis, quam voces immediatè significant. Alia mystica, quæ sub rebus significatis per verba, quasi sub velamine & figura conclusa est. Dicitúrque mystica, id est arcana & recondita. Vocatur etiam spiritualis, eò, quòd lateat sub rebus, quasi spiritus sub corpore.

9. *Quotuplex est mystica significatio?* ℟. Triplex: Tropologica, Allegorica, & Anagogica, pag 261. n.48. explicatæ, hísque versibus comprehensæ:

Litera gesta docet, quid credas Allegoria;
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

10. *Ostendatur id in exemplo?* ℟. Rubrica de osculando Altari in sensu literali significat actum osculandi Altare, in quo fit sacrificium. Quod osculum in sensu mystico tropologico significat consensum animorum inter fideles. In allegorico desponsationem Christi cum Ecclesia. In anagogico delectationem & gaudium futuræ gloriæ.

11. *Quæ est causa efficiens Rubricarum Missalis?* ℟. Summus Pontifex, à quo tanquam ab habente potestatem in totam Ecclesiam, debuit talis lex universalis ferri. Primus autem earum author creditur fuisse Divus Petrus. Pius autem V. vel maximè solidavit, edito Missali Romano, quo nunc utimur, postea roborato per Clementem VIII. & Urbanum VIII.

12. *Súntne ergo Rubricæ tantùm juris humani, & non Divini?* ℟. Esse tantùm juris humani, posséque proinde simpliciter mutari à Pontifice; id tamen non fieri, nisi causâ utilitatis, vel necessitatis.

13. *Habéntne etiam Episcopi potestatem condendi Rubricas & ritus Missarum?* ℟. Illos quidem habere ex potestate ordinaria pro suis Ecclesiis; ad vitandam tamen confusionem & dissonantiam, limitatam esse hanc eorum facultatem à Pio V. in Bulla initio Missalis apposita.

14. Quæ

14. *Quæ est causa finalis Rubricarum Missalis?* ℟. Est DEI cultus & utilitas spiritualis fidelium. *Ex Trid. sess. 7. can. 13. & sess. 22. c. 5.* & Bullis Pontificum Missali præfixis.

15. *Quam vim obligandi habent Rubricæ Missalis?* ℟. Illas solas obligare sub mortali, (nisi excuset parvitas materiæ, aut alia causa) quæ sunt præceptivæ; directivæ autem sunt tantùm consilia & instructiones, neque sine claro fundamento vis obligandi sub peccato adstruenda est.

16. *Quæ ergo sunt præceptivæ, & quæ directivæ tantùm?* ℟. Veriùs solas illas esse præceptivas, quæ præscribunt ritus servandos in ipso actu celebrationis Missæ à Sacerdote; quia super hos solos ritus cadit præceptum Pii V.

17. *An ergo omnes ritus ipsius celebrationis sunt sub obligatione peccati?* ℟. Hanc obligationem videri cadere solùm supra verba & actiones celebrantis; ita enim videtur sonare Bulla Pii V. *Mandantes, & stricte omnibus & singulis præcipientes in virtute S. Obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum & normam in Missali præscriptam decantent, aut legant. Neque in Missæ celebratione alias ceremonias aut preces addere vel recitare præsumant.*

18. *At nunquid etiam usus Paramentorum & similium ad sacrificium sub obligatione necessarius est, quamvus nec sint actio, nec reci-*

recitatio? ℟. Id quidem verum esse, sed hæc obligatio non oritur ex vi Rubricarum, sed aliunde vi sacrorum Canonum, graviter similia præcipientium.

19. *Rubricæ præscribentes oranda, aut agenda ante vel post Missam, obligántne sub peccato?* ℟. Eas non obligare per se, sed esse tantùm directivas, nisi aliunde ex sacris Canonibus præceptum accesserit.

20. *Rubricæ de ritibus, qui vel à ministrante, vel ab aliis servandi sunt, directivæ ne, an præceptivæ censeri debeant?* ℟. Esse tantùm directivas; præcisô scandalô, vel aliâ consuetudine obligante.

21. *An idem sentiendum de Rubricis defectuum Missæ?* ℟. Et has secundùm se solùm directivas esse; sunt enim doctrinales, quas Ecclesia non definit, sed solùm proponit, & suæ naturæ relinquit.

22. *Quæ causa est, quòd Rubricæ de ritibus Horarum Canonicarum non tantopere obligent ac de ritibus Missæ?* ℟. Quia ritus Horarum Canonicarum in actione consistentes, non habent sublimem significationem, aut grande mysterium sicut in Missa; ideo quoad hos sunt Rubricæ purè directivæ, & præceptivæ, in rigore solùm versantur circa ipsam recitationem.

23. *An & quæ sunt causæ excusantes à peccato in transgressione Rubricarum Missalis?* ℟. Vix dubitari posse, quòd sicut in aliis materiis ex

ex genere suo sub mortali obligantibus, excusari potest quis à mortali, aut ex parvitate materiæ, aut ex defectu advertentiæ sufficientis, ita & in hac.

24. *Quomodo in particulari discernenda levitas, vel gravitas materiæ in Missa?* ℞. Generalem regulam hanc tradi à Doctoribus: Quòd illa sit materia gravis, quæ considerato fine præcepti, multùm conducit ad finem legis talis; proinde præcepti transgressio gravis esse debebit. Discernere autem hoc ipsum in particulari requirit judicium prudens. Unde par quantitas physica in una parte Missæ, potest esse levis quoad obligationem, quæ in altera erit gravis.

25. *Ostendatur id in exemplo?* ℞. Unam vel alteram v. g. orationem ex iis, quæ ante Epistolam, vel in secretis dicuntur, omittere, erit materia levis: at in canone mediam, vel quartam partem integræ orationis omittere, ab omnibus materia gravis censetur.

26. *Cur hoc?* ℞. Quia cùm finis illarum precum, ex quibus Missa componitur, sit ornatus sacrificii & cultus divinus, magis conducunt ad hunc finem preces canonis, utpote sacratiores & proximiores sacrificio, & sublimiora mysteria continentes, quàm aliæ extra canonem.

27. *An materia gravis vel levis in celebratione Missæ non possit pensari ex iisdem regulis, quibus metimur materiam in præcepto an-*

audiendi Missam, vel recitandi Horas? ℟. Negativè, quia audientes Missam ex eo, quòd omittant aliquam partem, non mutilant Missam, quæ componitur ex verbis & actionibus celebrantis, non autem audientium. Missa etiam est opus longè sacratius & divinius officio divino, & ideo in illa faciliùs devenitur ad materiam gravem, quàm in hoc.

28. *An leves transgressiones Rubricarum possint fieri graves ex accidenti?* ℟. Posse: Primò, per intentionem finis graviter peccaminosi, ut si ex fine turpiter placendi fœminæ, vel inducendi novum ritum, breve Sacrum legat, &c. Secundò, ratione contemptûs. Tertiò, ratione scandali.

29. *An sacerdos teneatur sub mortali celebrare ter vel quater in anno?* ℟. Ita sentire Soarium, nisi legitimè excusetur, quia ad id ex officio obligari videtur.

Missæ interruptio per cessationem.

30. *An & quale peccatum sit, cœptam Missam non complere?* ℟. Certum esse, quòd sit peccatum grave, si inchoatâ consecratione non compleatur Missa, dum potest, usque ad sumptionem inclusivè. Nam consecratio est de substantia sacrificii; sumptio verò de ejusdem integritate; sacrilegium proinde grave foret, relinquere quoad hæc imperfectum sacrificium.

31. *An ab inchoata Miſſa etiam ante canonem ceſſare, ſit peccatum grave:* ℞. Eſſe, juxta communem per ſe loquendo. *Ex Cap. Nihil* 7. *quæſt.* 5. ibi: *Nullus abſque præventu potentis moleſtiæ Miniſter, vel ſacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præſumat omninò relinquere. Si quis hæc temerare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.*

32. *An id verum ſit inchoatâ qualitercunque Miſſâ?* ℞. Ita eſſe, putat Paſqualigus ex dicto *Cap. Nihil. Et ex Cap. Nullus Epiſcopus de conſecr. diſt.* 1. Aliunde gravis inconvenientia eſt, ut quis inchoando Miſſam ſiſtens ſe coram DEO ad ſacrificium offerendum, ipſoque facto ad id ſe obligans, temerè inde recedat.

33. *Sic relinquens Miſſam, incurrítne excommunicationem?* ℞. Negativè; quia textus dicti *Cap. Nihil.* excommunicationis ſententiam ſuſtinebit; per ly *ſuſtinebit*, ſatis clarè de ſola ſententia ferenda in contumacem loquitur.

34. *An non ſaltem ſuſpenſionem incurrat, & qualem?* ℞. Suſpenſionem incurrere. *Ex Cap. Nullus Epiſcopus de Conſecr. diſt.* 1. Ubi in fine ſic dicitur: *Si quis verò præſumpſerit, præter quod poſuimus agere, à ſacro Corpore & Sanguine Domini N. JEſu Chriſti ſit ſuſpenſus.*

35. *An taliter ſuſpenſus poſſit ſaltem communicare more laicorum?* ℞. Probabiliùs non poſſe; quia non ſuſpenditur ſolùm à modo

par-

participandi Eucharistiam, tanquam sacerdos, sed ab ipso corpore & sanguine Christi, quocunque tandem modo.

36. *An ob imminens periculum mortis possit Missa ita imperfecta relinqui?* R. Si tale periculum immineat ante consecrationem, non solùm posse, sed debere relinqui Missam; quia sacerdos non solùm se, sed etiam Eucharistiam periculo exponeret temerè.

37. *Quid si autem una species jam foret consecrata?* R. Eo casu sacerdos (si fieri posset) deberet statim consecrare & alteram speciem, utramque sumere, & abire; ad alias enim cæremonias non est obligatio in tali periculo.

38. *Sed quid si nec hoc fieri posset?* R. Mihi probabiliùs videri cum *Pasqualigo*, eo casu posse abire Sacerdotem relicto sacrificio imperfecto; quamvis enim sit præceptum Divinum complere sacrificium, videtur tamen hoc casu non obligare, eò quòd reddatur observatio moraliter impossibilis.

39. *Potéstne etiam ex alia quapiam causa relinqui imperfectum sacrificium, quoad substantiam?* R. Cùm dixerimus, Pontificem non posse dispensare in hoc, ut sacrificium fiat in unica tantùm specie, videtur ob nullam aliam, quantumvis gravem causam posse taliter relinqui substantialiter imperfectum sacrificium.

40. *An si sacerdos celebrans incipiat dubitare de valore suæ ordinationis, possit prosequi Missam*

sam inchoatam? ℟. Ante consecrationem, si dubium vincere non possit, debet relinquere, prætexendo aliquam causam, Missam inchoatam. Si verò dubium superveniat post consecrationem unius speciei, quamvis illud deponere nequeat, debet Missam prosequi; quia sacrificium jam quoad substantiam inchoatum est in possessione.

41. *An autem talis possit etiam postea aliis vicibus celebrare?* ℟. Non posse, donec vincat dubium; quia exponeret se periculo non conficiendi sacrificium & Sacramentum, & adorandi panem & vinum.

42. *Si durante celebratione Missæ superveniat interdictum, potéstne relinqui Missa inchoata?* ℟. Si interdictum superveniat ante inchoatam consecrationem, debet relinqui Missa; si post consecrationem, debet continuari usque ad sumptionem inclusivè; quia Missa ante consecrationem consideratur tanquam Officium Divinum, quod cedere debet juri ecclesiastico; post consecrationem autem consideratur tanquam sacrificium, quod est juris Divini, & quoad integritatem prævalet ecclesiastico.

43. *Si celebrationi Missæ superveniat excommunicatus vitandus, an possit relinqui Missa cœpta?* ℟. Si excommunicatus monitus non velit recedere, ante consecrationem debet Missa relinqui; si autem cœpta sit consecratio, debet continuari ad sumptionem inclu-

clusivè, quia prævalet præceptum de integritate sacrificii.

44. *Si actu celebrans infirmetur, an possit cessare?* ℟. In dicto Cap. *Nullus Episcopus* dicitur: *Non esse inchoatam Missam relinquendam, nisi passio aliqua* (seu infirmitas) *intervenerit.* Sciendum tamen, quòd major infirmitas requiratur ad relinquendam Missam, cœptâ jam consecratione, quàm ante consecrationem.

45. *Quid si dum celebratur Missa, polluatur Ecclesia?* ℟. Si canon non sit inceptus, relinquenda est Missa; complenda, si inceptus sit. *Ex Rubr. Miss. de defect. §. 10. n. 2.*

46. *Si celebranti occurrat aliquod juris impedimentum, an possit Missam prosequi?* ℟. Si cœpta sit consecratio, debet prosequi Missam; quia omnibus his impedimentis prævalet integritas sacrificii.

47. *Quid si autem celebrans ante consecrationem recordetur alicujus talis impedimenti?* ℟. Tunc posse eum, præmisso actu contritionis, si adsit conscientia peccati mortalis, prosequi Missam, si timeat infamiam aut scandalum; quia tunc prævalet jus famæ obligationi præcepti, in quo fundatur impedimentum.

48. *Quid si autem non timeatur scandalum aut infamia?* ℟. Si publicè celebretur coram multitudine, nunquam non posse prudenter timeri scandalum & infamiam, ac proinde semper continuari posse.

49. *Quid*

49. *Quid ergo in casu privatæ celebrationis?* ℟. Sacerdotem inceptam priùs Missam posse prosequi semper, etsi recordetur alicujus peccati non confessi, aut alterius impedimenti à jure, præmissô actu contritionis, quando impedimentum id requirit. Et licèt Rubrica præscribat contrarium, in hoc tamen est tantùm directiva, non præceptiva.

50. *Quæ sunt dicta juris impedimenta?* ℟. Sunt: Excommunicatio, interdictum, suspensio, irregularitas, violatio jejunii naturalis, memoria peccati mortalis, &c.

Missæ interpolatio.

51. *Licétne Missam interrumpere?* ℟. Sine causa non posse ob sacrificii majestatem; posse autem ex justa causa, utì practicat Ecclesia, interponendo concionem, promulgationes, ordinationem, &c.

52. *An infirmitas, alteratio stomachi aut ventris sit sufficiens causa interpolandi Missam?* ℟. Esse sufficientem; quia similia reddunt moraliter impossibilem Missam sine interpolatione.

53. *An possit Missa interrumpi pro spirituali necessitate proximi?* ℟. Posse ad remedium necessarium necessitate medii, sive per se, sive per accidens, pro moribundo interrumpi, si desit alius, qui juvet, idque etiam post consecrationem; agitur enim de salute proximi, ac de vitando damno irreparabili.

54. *An possit etiam interrumpi ad dandum viaticum moribundo urgente necessitate?* ℞. Licere ante consecrationem; quia viaticum vel ministrandum est ex officio, vel ex charitate; utriusque autem obligatio prævalet obligationi non interrumpendi Missam.

55. *An possit interrumpi etiam pro ministranda extrema unctione, moribundo refecto jam aliis Sacramentis?* ℞. Posse ante consecrationem ex eadem ratione, quæ pro priori responsione allata est.

56. *Quid si moribundus sit intra Ecclesiam?* ℞. Tunc posse etiam post consecrationem interrumpi Missam ad ministrandum viaticum, aut extremam unctionem, quia tunc non est opus exuere sacras vestes, ideoque non est totalis interruptio sacrificii; aliunde non erit valde notabilis, ut potiùs pausa dici possit.

57. *Quando sacrificium interrumpitur post consecrationem, quomodo interim cavendum sit speciebus consecratis?* ℞. Constituendum esse aliquem ad custodiam earum, vel, si nullus adsit, reponendas ad sacrarium.

58. *Si dum Missa interrumpitur ad absolvendum moribundum, confessio futura esset longa, potéstne tunc dimidiari confessio?* ℞. Potest, siquidem etiam ob minores causas licet relinquere integritatem materialem.

59. *Si Sacerdos interrumpat Missam post consecrationem ad ministrandum Sacramentum*

Pœ-

Pœnitentiæ moribundo, potéstne simul ministrare viaticum & extremam unctionem? ℟. Posse, quia si semel legitimè interruptâ Missâ mora trahatur parùm longior, non multum refert, maximè ob tantam utilitatem proximi.

60. *Si sit ministrandum viaticum, nec adest alia hostia, nisi quæ in illo sacrificio nondum completo est consecrata, potéstne de ipsa ministrari viaticum?* ℟. Posse, quia in tali casu non est inconveniens, quòd moribundus priùs participet de sacrificio, quàm Sacerdos.

61. *An ad subveniendum moribundo teneatur Sacerdos interrumpere Missam?* ℟. Si agatur de Sacramento per se, vel per accidens necessario, omninò teneri, quia causa, quæ facit licitam interruptionem, obligat Sacerdotem ad ministrandum.

62. *Quid autem si agatur de Sacramento minùs necessario?* ℟. Non teneri, nisi aliunde vel ex officio obligaretur ministrare, vel ex charitate.

63. *An possit Missa interrumpi ob corporalem etiam proximi necessitatem?* ℟. Si ea sit gravis, nec alius succurrere possit, nisi celebrans, tunc charitas obligabit celebrantem ad subveniendum.

64. *An Missa possit interrumpi, ut repetatur ab initio ob adventum Principis v. g. Episcopi? &c.* ℟. Mihi veriùs videri, quòd non pos-

posſit. Quia talis repetitionis nulla proſus neceſsitas videtur; aliunde ſi ad offertorium veniatur, poteſt adhuc audiri Miſſa quoad ſubſtantiam; ſi poſt offertorium, repeti amplius in gratiam nullius poteſt.

Omiſſio partium Miſſæ.

65. *Quale peccatum eſt omittere partes mobiles, quæ non ſemper adhibentur, ut: Gloria, Credo, plures lectiones, in* Communicantes *certa verba? &c.* ℟. Mortale non eſſe; quia has partes omittendo propriè non mutilatur Miſſa. Erit tamen veniale; quia privatur Miſſa majori orn.. tu ſuperadditô. Cæterùm etiam is, qui hæc omnia ſimul omitteret, tantùm venialiter peccaret; quia adhuc Miſſa maneret ſimpliciter integra.

66. *Quale peccatum eſt omittere partes verbales Miſſæ ordinarias uſque ad canonem?* ℟. Ex genere ſuo eſſe peccatum mortale; quia directè & per ſe opponitur præcepto Pii V. ac proinde partem notabilem & principalem omittens, peccaret mortaliter.

67. *Quæ cenſentur hæ partes notabiles & principales uſque ad canonem?* ℟. 1. Initium Miſſæ, videlicet Pſalmus: *Judica*, Confeſsio, & preces, quæ dicuntur ante gradus Altaris. 2. Epiſtola. 3. Evangelium. 4. Oblatio tum hoſtiæ, tum calicis, quælibet cum ſua forma. 5. Præfatio. Reliquæ, uti Tractus, Kyrie eleiſon,

Orationes, & similia censentur esse partes minùs principales.

68. *An non tamen peccaret mortaliter, qui plures partes minùs principales omitteret ex ordinariis?* ℟. Quòd sic, quia ex talibus simul sumptis resultat notabilis deformitas contra præceptum integrè recitandi Missam.

69. *Quale peccatum est omissio in canone Missæ seclusâ consecratione?* ℟. Nullum dubium esse, quòd omisio partis notabilis, sit peccatum mortale.

70. *Ubi est initium & finis canonis?* ℟. Juxta communiorem, initium esse ab illis verbis: *Te igitur Clementissime, &c.* Finem verò ad *Pater noster* exclusivè.

71. *Quæ est pars notabilis in canone?* ℟. Cum communi, quamlibet Orationem Canonis, partem ejus notabilem esse; ac proinde cujuslibet omisionem esse peccatum mortale.

72. *An ergo non peccatur mortaliter, si non omittatur tota oratio?* ℟. Si tot verba omittantur, ut destruatur, vel notabiliter mutetur, vel minuatur significatio, aut repræsentatio mysterii cujuslibet ex orationibus canonis, quamvis paucula verba omissa sint, fore certò mortale, quia tantundem est moraliter, ac si tota oratio omissa foret.

73. *Datúrne tamen in hac omissione parvitas materiæ?* ℟. Veriùs esse quòd detur, sicut in materia Religionis, voti, &c.

74. *Quæ censeri potest parva materia?* ℟.

Si sensus orationis non destruatur. Aliqui cum Suarez dicunt, duas voces esse levem materiam. Alii cum Bernall. octo vel decem nomina Sanctorum. Alii probabiliùs cum Garzia, quatuor vel quinque ad summum. Illud commune est, omittere ea quæ in certis festis superaddi solent in *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem*, non excedere veniale, quia non sunt partes ordinariæ, & sine iis manet integritas Missæ.

75. *Quale peccatum est, omittere aliquid in formis consecrationis?* ℟. In his longè faciliùs peccari posse mortaliter, quàm in ulla alia parte Missæ.

76. *An omittere particulam* ENIM *sit mortale?* ℟. Probabile esse, quòd sit tantùm veniale; quia non pertinet ad significationem formæ.

77. *An aliquod aliud verbum omittere in formis his, sit etiam tantùm veniale?* ℟. Esse mortale, etiam in forma consueta sanguinis; tum quia disputatur, an non tota illa forma sit essentialis; tum quia singula verba sunt de necessitate præcepti.

78. *An & quale peccatum est, omittere aliquam ultimam litteram verborum consecrationis?* ℟. Esse veniale, si omissio fiat ex negligentia; si autem ex alia causa, nec veniale quidem; supponitur enim per hoc non turbari sensum verborum.

79. *Quale peccatum est omissio ab oratione*

tione Dominica usque ad Communionem? ℞. Esse mortale aliquam integram partem illorum omittere, v. g. *Orationem Dominicam, Libera nos, Hæc commixtio, Agnus DEI, Domine non sum, &c.* quia quamvis ad Canonem non spectent, ei tamen ferè æquiparantur.

80. *Quid de omissione partium post communionem?* ℞. De his idem sentiendum, quod de partibus Missæ ante Canonem.

81. *An omittere Evangelium S. Joannis in fine sit peccatum mortale?* ℞. Probabiliùs non esse plus, quàm veniale; siquidem non videtur esse pars Missæ; nam *in Capit. Cùm ad celebrandas, de Consecrat. dist. 1. præcipitur, Ne populus discedat ante completam Missæ solennitatem*; & tamen dimittitur ante hoc Evangelium, dicendo: *Ite Missa est*; quod est signum, quòd etiam factâ introductione hujus Evangelii non sit institutum tanquam pars essentialis Missæ.

82. *An dum Sacerdos cantat Missam, assistentibus Subdiacono Epistolam, & Diacono Evangelium cantantibus, teneatur & ipse utrumque legere?* ℞. Sub peccato non teneri; quia id nullô jure præcipitur.

83. *Quale peccatum est omittere ritus Missæ in actione consistentes?* ℞. Esse ex genere suo mortale, ut patet ex præcepto Pii V. proinde omittendo ritus majoris momenti, peccabitur mortaliter; venialiter verò, omittendo minoris momenti.

84. *Qui sunt ritus majoris momenti?* ℞. Esse sequentes : Mistio aquæ cum vino, Elevatio utriusque speciei, fractio Hostiæ, & mistio particulæ cum sanguine, purificatio patenæ & calicis.

85. *Qui ritus sunt minoris momenti?* ℞. Benedictiones, Cruces, Deosculationes, Inclinationes, Genuflexiones, &c.

86. *An purificatio post Communionem fieri possit in sola aqua?* ℞. Primam debere fieri in vino sub peccato veniali, secundam fieri posse in sola aqua; siquidem consuetudo recepta etiam apud pios & doctos interpretata est, Rubricam illam non esse præceptivam.

87. *Quale peccatum est omissio rituum Missæ solennis?* ℞. Ritus Missæ solennis communes Missis privatis obligant ex genere suo sub mortali, & quidem magis, quàm in privatis, nec nisi ratione parvitatis materiæ obligant sub veniali tantùm.

88. *Quid autem de ritibus propriis solennis Missæ?* ℞. Probabile esse, secluso scandalo, omissionem eorum non excedere veniale peccatum; quia non sunt partes necessariæ Missæ, nec spectant simpliciter ad ejus integritatem, sed adduntur ad majorem ornatum.

89. *An ex causa necessitatis liceat omittere partem notabilem Missæ?* ℞. Licere, si sit necessitas gravis, v. g. ministrandi viaticum,

cum, aut consumendi sacrificium, ut aliàs dictum.

Addere aliquid Missæ.

90. *Quale peccatum est, addere Missæ novas preces?* ℞. Esse mortale vel veniale, juxta gravitatem vel levitatem materiæ. Ex *Bulla Pii V.* ibi: *Neque in Missæ celebratione alias ceremonias, vel preces, quàm quæ hoc Missalè continentur, addere, vel recitare præsumat.*

91. *An ut talis additio sit graviter peccaminosa, requiratur, ut fiat animo inducendi novum ritum?* ℞. Non requiri, quia nec Pius V. talem animum requirit, nec Missæ deformitas ex tali animo consurgit, sed ex ipsa reali additione.

92. *Unde discernenda est gravitas vel levitas materiæ quoad hoc punctum?* ℞. Non aliunde, quàm ex quantitate; cùm enim illæ preces non sint ad Missam pertinentes, non potest ostendi in illis principalitas, aut alia ratio, à qua proveniat gravitas. vel cesset.

93. *An ergo qui plures collectas recitat, quàm præscribatur, peccabit?* ℞. Negativè, si adhibeat eas, quæ in Missali positæ sunt, maximè si adsit causa rationabilis; quia nec Missa deformatur, nec fit contra prohibitionem Pii V. quamvis enim illæ orationes pro tali Missa non præscribantur, sunt tamen secundùm ritum Missalis.

94. *Quot orationes possunt dici in Missa privata, non duplici?* ℟. Aut tres, aut quinque, aut ad libitum septem; Ternario significante mysterium Trinitatis; Quinario Passionem Christi & quinque Vulnera; Septenario septem Petitiones in Oratione Dominica contentas.

95. *An addere quid modicum quoad preces animo inducendi novum ritum, sit peccatum mortale?* ℟. Esse, quia materia peccati hîc non est illa oratio, sed ritus, qui additur, qui cùm publicus sit, eum propriæ dispositioni subjicere, atque adeò usurpare jurisdictionem circa ipsum, ratione publicitatis res gravis est.

96. *An peccetur etiam, si secretò aliquæ preces addantur ex devotione?* ℟. Peccari venialiter, nisi sit brevis oratio jaculatoria devotionem fovens; quia aliàs est devotio indiscreta.

97. *An nomen alicujus Sancti interponere in precibus sit peccatum?* ℟. In canone interponere, esse veniale ob parvitatem materiæ. In *Confessione*, & in *A cunctis* consuetudo, bonâ fide introducta, excusat etiam à veniali.

98. *An licitum sit aliquam orationem mentalem, v. gr. ante sumptionem interponere?* ℟. Probabiliùs esse licitum, si sit brevis, quia ex una parte excitat devotionem, ex altera non est directè contra Rubricas; siquidem Ecclesia nec prohibet directè actus internos.

99. Qua-

99. *Quale peccatum est addere aliquid formæ consecrationis?* ℟. Addere aliquid, quô mutatur sensus formæ, est gravissimum sacrilegium, nec conficitur Sacramentum.

100. *Quid si autem sensus formæ non mutetur?* ℟. Contra ritum Ecclesiæ in re tam sacrosancta etiam unum verbum addere, est ingens temeritas, adeóque grave peccatum.

101. *Quale peccatum est repetitio verborum formæ, quæ est quædam additio?* ℟. Certum esse, quòd si repetantur supra eandem materiam, sit grave sacrilegium, quia verba falsificantur.

102. *Quid si pars formæ solùm repetatur, v. g. hoc, hoc est, &c.* ℟. Ad summum esse veniale, quia nec est periculum irritationis Sacramenti, nec mutatur significatio verborum; imò vix veniale erit, nisi ob nimiam anxietatem, ex qua talis repetitio oriri solet.

103. *Si post factam consecrationem probabiliter dubitet celebrans, an ritè prolata sit forma, poteritne repetere illam?* ℟. Tenebitur repetere sub conditione saltem mente concepta; quia jure divino tenetur supplere defectus substantiales, ne irritum sit Sacramentum.

104. *Si Sacerdos ritè protulit formam super unam materiam, an possit in eadem Missa repetere eandem formam super aliam materiam?* ℟. Non posse, quia secunda prolatio formæ nec posset pertinere ad idem sacrificium; siquidem unum sacrificium unam formam habet; nec ad distinctum, quia deberet

etiam novus calix consecrari; aliunde etiam non licet sub iisdem ritibus plura sacrificia conficere.

Mutatio Ritus Missæ.

105. *An Missæ non positæ in Missali Romano, licitè dici possint?* ℟. Negativè, nisi à Congregatione rituum sint approbatæ. Nominatim autem prohibentur Missæ S. Gregorii pro vivis & defunctis, quindecim Auxiliatorum, & de Patre æterno.

106. *Suntne hæ Missæ absolutè prohibitæ?* ℟. Negativè, sed solùm illæ, quæ circumferebantur extra Missale Romanum.

107. *An in forma consecrationis mutatio etiam accidentalis sit grave peccatum?* ℟. Esse grave ex genere suo, quia in re tam sacra recedere à ritu Ecclesiæ, est gravis deordinatio. Unde vel unum verbum immutare veriùs est, quòd sit mortale.

108. *Quid in aliis partibus Missæ?* ℟. Si mutatio verbalis v. g. in precibus fiat cum notabili deformitate, erit mortale; secus autem veniale. Hæc autem deformitas desumi debet ab oppositione cum fine præcepti Missalis.

109. *Quale erit peccatum, si fiat mutatio synonimi in synonimum?* ℟. Esse tantùm veniale, si sit ejusdem idiomatis; si autem sit diversi, erit mortale propter prohibitionem. *Trid. sess. 22. c. 8. & Can. 9.*

110. *Quid si ita fiat mutatio, ut mutetur sensus precum & orationum?* ℟. Talem mutationem futuram peccaminosam mortaliter.

111. *Si autem fiat mutatio unius partis Missæ in aliam partem similem alterius Missæ, v. gr. Evangelii in Evangelium?* ℟. Futurum tantùm veniale, nisi esset nimis opposita mutatio.

112. *Mutatio Rituum in actione consistentium quale peccatum est?* ℟. Esse mortale ex genere suo. *Ex Bulla Pii V.*

113. *Quid si mutatio horum rituum sit tantùm quoad modum, ut: Si crux compendiosior fiat? &c.* ℟. Fore tantùm veniale, cùm substantia servetur.

114. *Potéstne Sacerdos licitè eam mutationem facere in materia consecranda, ut dum non habet majorem hostiam, consecret parvam?* ℟. Potest, imò die festo debet, si populus aliam Missam non habeat. Et si habitâ majori hostiâ id faceret, tantùm peccaret venialiter.

115. *Quale peccatum est consecrare hostiam non rotundam, vel non satis mundam, & candidam, vel non integram, vel sine imagine Crucifixi, vel adjunctis imaginibus etiam aliorum Sanctorum?* ℟. Ex genere suo esse tantùm veniale, quia non constat de præcepto rigoroso, nec sunt aggravandæ obligationes.

116. *Licitúmne est pro communicantibus consecrare majores hostias, vel ad libitum præ-bere*

bere plures parvas ? Resp. Esse gravem abusum juxta communem Doctorum; & contra tales meritò procedere Inquisitores fidei ob suspicionem erroris, quasi quid plus detur in majori vel pluribus Hostiis, quàm in una parva.

117. *Quid de mutatione Rituum quoad circumstantias loci & temporis, v. g. si recitetur in cornu Altaris, quod dici deberet in medio ?* ℟. Esse veniale ex genere suo, quia est tantùm contra circumstantias accidentales præcepti.

118. *Quid de mutatione per transpositionem partium Missæ, v. g. incipere Missam ab Evangelio, vel dicere Introitum post Epistolam ?* ℟. Talem mutationem esse ex genere suo mortale. Et quoad particularia discurrendum est de ea proportionaliter ad id, quod diximus de omissione, considerando partes, quæ transponuntur, an sint nobiliores, an homogeneæ, an ignobiliores, an heterogeneæ.

119. *An genuflexio mutari possit in Missa in incurvationem ?* ℟. Posse ex causa impotentiæ, maximè si incurvatio aliqualiter accedat ad genuflexionem; quia etiam incurvatio est signum adorationis, ad quod genuflexiones sunt institutæ.

120. *An genuflexiones debeant fieri utroque genu usque ad terram ?* ℟. Utroque genu flectere in Missa, non esse in usu, nisi in raris casibus;

bus; & unius genuflexio, est etiam genuflexio. Nec est obligatio, eam fieri usque ad terram, sufficit fieri versùs terram.

121. *An Sacerdos dum celebrat, sedere possit?* ℞. Sacerdotem peccaturum mortaliter, si cum notabili sessione aliquam partem Missæ recitaret, quia sessio excluditur, non tantùm ob reverentiam, sed etiam ob functiones varias in celebratione præscriptas.

122. *Quanto tempore durare debet Missa, ut congruè celebretur?* ℞. Id vix determinari posse, cùm aliqui expeditiores sint decenter legendo, quàm alii indecenter properando. Existimarem, horæ dimidium non facilè excedendum, ne morositate legendi, tædio afficiat audientes contra Rubricam.

123. *An & quale sit peccatum nimia celeritas in celebranda Missa?* ℞. Si ex festinatione oriatur notabilis indecentia, aut omittatur notabilis pars Missæ, erit mortale. Si autem servetur decentia, & omnis ritus, nec quidquam omittatur, nec erit veniale.

124. *Quale peccatum est, secreta in Missa altâ voce recitare?* ℞. Ex genere suo esse mortale, quia est inter ritus principales ob verborum sacro-sanctorum reverentiam sic institutus.

125. *Quale peccatum est, ea, quæ altâ voce dici debent in Missa, depressâ voce recitare?* ℞. Nullum esse, dummodo à ministro audiri possit; jam enim censetur altâ, hoc est, non se-

ſecretâ voce loqui. Clamare certè deberet in magna Eccleſia, ſi à toto populo audiri deberet.

126. *Quale peccatum eſt, ita ſubmiſſâ voce recitare Miſſam, ut celebrans aliunde non impeditus, nec ipſe ſe audire poſſit?* ℟. Eſſe ex genere ſuo mortale, etiam quoad ea, quæ ſecretò dici debent, juxta multorum opinionem, quamvis plures ferè accedant ad ſententiam contrariam.

127. *Quale peccatum eſt, in Miſſa dimidiare verba, vel etiam totaliter comprimere?* ℟. Si id fiat in notabili, aut in principali aliqua parte Miſſæ, non poſſe excuſari à mortali, niſi per phyſicam alicujus balbutientis impotentiam.

128. *An ſecreta in Miſſa mentaliter recitari poſſint, ſaltem juxta privilegium Fratrum Minorum à Leone X. conceſſum quoad Horas Canonicas?* ℟. Hoc privilegium, cum reliquis vivæ vocis oraculis revocatum eſſe; & quamvis extaret, extendendum non eſſet ad Miſſam, in qua Pius V. vocalem recitationem præcipit, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis.

129. *Eſtne licita Miſſa, quam ſiccam vocant?* ℟. Hoc tempore licitam non eſſe, cùm nullum ſit ejus veſtigium; videtúrque potiùs eſſe ſuperſtitioſa devotio, & continere abuſum tum poteſtatis ſacerdotalis, tum ſacrarum veſtium pro ſacrificio inſtitutarum.

130. *Qua-*

130. *Qualis est hæc sicca Missa?* ℟. Illam dici, in qua non offertur sacrificium, sed tantùm recitantur preces, quæ in Missa solent recitari, & fuit introducta ex devotione fidelium, quando non erat locus oblationi sacrificii, dicitúrque contineri in sacerdotali Romano, à Leone X. approbato, id quod negat Pasqual. aut dicit illam subreptitiè esse intrusam in dictum sacerdotale.

131. *Quale peccatum est adhibere Liturgiam non approbatam ab Ecclesia?* ℟. Esse mortale, quia est in re gravi contra prohibitionem.

132. *An Liturgiæ antiquæ, quæ olim fuerunt in usu, possint nunc adhiberi?* Resp. Non posse, ex Bulla Pii V. præfixa Missali. Ibi: *Ex aliis verò omnibus Ecclesiis præfatis, &c.*

133. *An Missæ concessæ specialiter alicui Religioni, utì est Missa Rosarii, possit recitari ab aliis?* ℟. Non posse, ita declarante *Sacr. Congreg. die 25. Junii 1622. & Apr. 1628.*

134. *An saltem tales Missæ celebrari possint ab externis in talium Religiosorum Ecclesiis in die solennitatis ipsius?* ℟. Nisi consuetudine sit facta interpretatio legis, non posse, quia decretum negativum respicit personas distinctas à talibus Religiosis, ergo quocunque in loco.

135. *Quid si quis obligaretur aut ex voto, aut ratione stipendii, aut ratione legati seu* *fun-*

fundationis talem Missam celebrare? ℟. Eum satisfacturum, celebrando aliquam similem Missam ex iis, quæ sunt in Missali. Ita declaravit *Sacra Congr. 6. Maji 1623. de Missa Rosarii, & 8. April. 1628. de Missa B. Mariæ de Carmelo.*

136. *An qualitas Missæ cadat sub obligationem?* ℟. Qualitatem Missæ Conventualis in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis cadere sub obligatione gravi, *Ex cap. Cùm creatura, de celebr. Missæ.* Ubi Pontifex utitur verbo *Mandamus*; cùm sit in materia gravi, utpote ex fine perfectæ observationis Ritûs Ecclesiastici.

137. *Quid autem sentiendum de Missis privatis?* ℟. Etiam in his videri obligationem gravem in festis solennibus, (nisi adsit urgens causa celebrandi alteram Missam) & si in Ecclesia celebretur; quia hi dies, quò majores sunt, eò majorem solennitatem exigunt.

138. *Sed quid præcisis dictis circumstantiis?* ℟. Rubricam de qualitàte Missæ præcisè loquendo, non obligare sub mortali, sed ad summum sub veniali, eò, quòd quamvis sit aliqua deformitas, non tamen videatur esse magna, ut hæc potiùs, quàm alia Missa Missalis dicatur.

Missæ votivæ.

139. *An Missæ votivæ celebrari possint in quo-*

quocunque die? ℟. Etiam Missas privatas celebrari non posse in festis duplicibus sub veniali. Si autem fieret ex rationabili causa, nec foret veniale.

140. *An ergo liceat ad libitum celebrare missas votivas, diebus à Rubrica permissis?* ℟. Etiam his diebus celebrare sine rationabili causa Missam votivam, erit veniale; quia est aliqua deordinatio, sine causa præterire conformitatem Missæ cum officio diei.

141. *Qualis causa rationabilis sufficit ad missam votivam celebrandam?* ℟. Ad legendam diebus permissis à Rubrica, sufficere quemcunque finem honestum; talis enim finis non potest non esse causa rationabilis.

142. *An votivum dici possit in feriis privilegiatis, vel infra Octavas excludentibus festa duplicia?* ℟. Negativè; quia cùm hi dies sunt specialiter privilegiati, sunt speciali notâ digni, adeóque indigent speciali expresſione, ut in illis posſit alia Missa legi.

143. *An votivum & de requiem dici posſit infra Octavam Corporis Christi?* ℟. Negativè, id enim prohibetur decreto Clementis X. 21. Junii 1670. edito, atque in Missalibus recentioribus impresso.

144. *An in duplici ad libitum possit legi missa votiva?* ℟. Posse, quia recitare in tali die de duplici, est privilegium respiciens actus distinctos, videlicet Missam & Officium; potest

autem privilegium acceptari quoad unum actum, non acceptari quoad alterum.

145. *Ergo tali die poterit etiam Officium currens recitari, & Missa dici de duplici?* ℟. Id omninò posse ex prædicta ratione.

146. *Sufficitne finis honestus temporalis ad legendum votivum die, quo conceditur?* ℟. Sufficere, sicut sufficit ipsum sacrificium offerre pro re temporali obtinenda.

147. *An sufficiat, ut finis iste honestus temporalis sit Missæ extrinsecus, sitque ipsius solius operantis?* ℟. Sufficere, sicut sufficit talis finis, ut actionem operantis rectificet.

148. *An sufficiat honestas intrinseca ipsius Missæ?* ℟. Sufficere, quia hoc ipso exercetur actus Religionis.

149. *An sufficiat devotio celebrantis; voluntas testatorum & fundatorum; instantia petentis; obligatio ex quocunque titulo; incommodum ex celebratione Missæ currentis; difficultas legendi Missam currentem ignotam; carentia Missalis continentis Missam currentem, ad votivam legendam?* ℟. Has & similes causas omnes sufficere.

150. *An Missa votiva solennis celebrari possit in duplicibus & festis de præcepto?* ℟. Posse ex causa rationabili; quia Rubricæ vetantes his diebus Missam votivam, non loquuntur de solennibus, sed de privatis.

151. *An etiam in festis primæ classis?* ℟. Posse etiam in iis pro re gravi; quia cùm Missa so-

solennis votiva concedatur pro re gravi, stante eodem fine in festo primæ classis, stabit concessio.

152. *Quæ censetur res gravis?* ℟. Causæ publicæ, pro Principe terræ, pro Antistite, pro communitatibus, pro victoria publica, & similibus, quæ bonum alicujus communitatis concernunt.

153. *An non possit in Dominicis, feriis privilegiatis, festis duplicibus de præcepto, etiam Missa votiva privata celebrari?* ℟. Posse ex causa rationabili, quia Rubricæ præscribunt id, quod regulariter servandum; relinquunt ergo casus extraordinarios regulandos regulis prudentiæ.

154. *Quæ causa est sufficiens ad talem celebrationem?* ℟. Si aliàs Missa currens, aut simpliciter, aut sine incommodo dici non posset; ut si convalescenti esset nimis longa Missa dici, vel debilem visum habenti, difficile foret, passionem legere.

155. *An exteri debeant, vel possint se in celebranda Missa conformare Ecclesiæ, in qua celebrant?* ℟. Posse, sed non teneri, nisi timeretur scandalum; quia habent se per modum advenarum, qui non tenentur se accommodare legibus loci, in quo reperiuntur.

156. *Qualem Missam celebrare debent Capellani Monialium, non utentium Breviario Romano?* ℟. Debent ex Missali Romano celebrare Missam conformem Breviario monialium, vel certè saltem affinem illi, si non habeatur planè conformis.

157. *An qui accepto stipendio promisit missam votivam peculiarem, satisfaciat dicendo missam currentem?* ℟. Die prohibitô satisfieri per Missam currentem, quia ex una parte agere contra Rubricas, reprehensibile est, præcisè propter alicujus laici devotionem, *ex Capit. quidam laicorum, de celebr. miss.* Ex altera parte non violatur promissio formaliter, quia satisfit rectæ intentioni petentis, juxta regulas rectæ rationis.

158. *Quomodo hoc ultimum declaratur?* ℟. Quia & DEO & Sanctis magis placet cultus rationabilis, secundùm Ecclesiæ institutionem, quàm juxta privatam aliorum intentionem. Et fructus satisfactionis æqualiter procedit à quacunque Missa. Et fructus impetrationis principaliter habetur ratione rei oblatæ. Fructus verò correspondens orationibus propriis Missæ petitæ, satis compensatur per devotionem Sacerdotis Ecclesiæ præscriptum sequentis.

159. *Quid autem de diebus permissis?* ℟. Peccare Sacerdotem, si in iis non faciat Sacrum promissum, quia agit contra fidelitatem, vix tamen excedet veniale, quia vix ullum detrimentum sequitur.

160. *Quid si in iis diebus ex rationabili causa aliam missam dicat?* ℟. Tunc nec peccabit venialiter; tum quiá dat æquivalens; tum quia promissio habet imbibitam conditionem: Nisi recta ratio aliud dictaverit. Vide-

detur autem satis rationabilis causa etiam ipsa conformitas Missæ cum Officio diei, quam Ecclesia multum commendat.

161. *An juramentum aut votum factum DEO de votivis pro diebus, in quibus ab Ecclesia non permittuntur, obliget?* ℞. Non obligare per se, quia in his diebus vel non possunt celebrari sine peccato veniali, vel saltem observantiam cultûs quoad qualitatem pro illo die ab Ecclesia instituti impediunt, quod DEO zelanti observantiam rituum Ecclesiæ acceptum esse non potest.

162. *Tres Missæ ab ordinante imposita ordinato legendæ post primam missam, in ordine, ad quos dies obligant?* ℞. In ordine ad dies tantùm, in quibus vi Rubricarum Missalis legi votivæ possunt, quia ea semper imperratio est sumenda, per quam legum contrarietas vitetur. *L. Præcipimus, Cod. de Appellat.*

Missæ de Sanctis.

163. *An de Patronis celebranda sit Missa?* ℞. Celebrandam esse tam de principalioribus, quàm de minùs principalibus, quamvis non sint expressi in Breviario, seu Missali, quia Rubrica generalis præscribit officium de Patrono; alia Rubrica vult Missam correspondere officio; ergo & Missa dicenda est.

164. *An de Fundatoribus Religionum possit missa celebrari?* ℞. Posse à Religiosis illius Or-

Ordinis, sive Fundatores sint Canonizati, sive tantùm beatificati; quia sunt Patroni Religionum.

165. *Quo ritu debet Missa de Fundatoribus celebrari?* ℟. Si sint Canonizati, certum esse, quòd sub ritu duplici cum octava; si autem sint tantùm beatificati, probabiliùs esse quòd etiam cum octava; quia cùm Missa sit concessa, & aliunde rubrica præscribat octavam pro Patronis principalioribus, quales sunt Fundatores, ita servandum erit.

Missa reliquiarum.

166. *An de Sanctis, quorum habentur Reliquiæ in Ecclesia, possit celebrari Missa?* ℟. Juxta Rubricam, si sint Reliquiæ insignes, potest in illa solùm Ecclesia, in qua sunt. Quæ autem censeantur Reliquiæ insignes, habetur decisum à Sacra Congregat.

167. *Si in Cathedrali Ecclesia sit Reliquia insignis unius Sancti, propter quam in die Commemorationis ejus Sancti concessum est officium pro tota Civitate, & in eandem diem incidat commemoratio alterius Sancti, cujus Reliquiæ insignes sunt in Ecclesia particulari ejusdem Civitatis, an de hoc Sancto possit celebrari in hac Ecclesia particulari?* ℟. Posse, & alterius Sancti officium debere in ea transferri; quia respectu hujus Ecclesiæ prævalet cultus hujus Sancti.

168. *Si sint plures Reliquiæ insignes diversorum Sanctorum in eadem Ecclesia, quorum commemoratio in eundem diem incidit, quale Officium recitandum?* ℟. Posse recitari de uno tantùm ex illis, & quidem de digniori; si autem sint æquales, electio est ad libitum. De reliquis singulis fiet Officiorum translatio; quia juxta Decretum sacræ Congregationis, quilibet illorum Sanctorum habet jus speciale ad sui cultum in hac Ecclesia. Et hoc intelligendum, etsi Sancti illi sint ejusdem Ordinis, & ab Ecclesia eôdem die celebrentur, ut S. Ursulæ.

169. *Si in Ecclesia Cathedrali sit insignis Reliquia alicujus Sancti, propter quam concessum est officium toti Urbi, aut Diœcesi, & in eadem Urbe in alia particulari Ecclesia sit pariter insignis Reliquia ejusdem Sancti, an in hac possit bis celebrari Officium de illo Sancto, duplicium videlicet reliquiarum titulo?* ℟. Negativè; sicut si in eadem Ecclesia esset duplex insignis Reliquia ejusdem Sancti, quia duplex Reliquia est tantùm duplex motivum concessionis; non autem ratio duplicis concessionis.

170. *An necessaria sit specialis licentia Ordinarii ad celebrandum Officium de Sancto, cujus habetur insignis Reliquia?* ℟. Non requiri, quia licentia jam est concessa à Sac. Congregatione. Approbatio tamen Reliquiæ, necesse est, ut fiat ab Ordinario.

Missa

Missa in Capellis.

171. *De Titulari Capellæ an possit celebrari missa & Officium?* R. Cum Quarti, si Capella sit per se stans, posse, quia est materia favorabilis; ac proinde secundùm latam interpretationem sub nomine Ecclesiæ comprehendi potest. Si autem Capella sit pars Ecclesiæ, non poterit celebrari, quia tunc sub nomine Ecclesiæ comprehendi non potest.

172. *An ergo in tali Capella Ecclesiæ juncta nihil celebritatis fieri poterit?* R. Posse Missam votivam cum Gloria dici; cultus enim specialis Sancti erit causa sufficiens ad recitandum Gloria, sicut solennitas Missæ est causa sufficiens.

173. *An de quolibet Sancto canonizato possit dici missa votiva?* R. Posse, etsi non sit descriptus in Calendario; quia eô ipsô, quòd sit canonizatus, declaratus est dignus cultu Missæ. Cùm ergo Rubricæ non limitent Missarum votivarum celebrationem ad Sanctos Calendarii, poterunt celebrari de iis, qui non sunt in Calendario.

174. *An Dedicatio Ecclesiæ celebrari possit cum Officio & missa, quamvis non sit consecrata?* R. Probabiliùs non posse, quia Ecclesia non consecrata, non vocatur propriè dedicata, sed tantùm benedicta.

175. *An absens possit celebrare festa suæ Diœcesis?* R. Posse, quamvis diu absit, quia adhuc

ma-

manet membrum illius Ecclesiæ. Potest autem etiam se accommodare loco, in quo reperitur, juxta communem, & gerere se, tanquam si esset incorporatus. Idem dicendum de habentibus beneficium in una Diœcesi, & domicilium in altera.

176. *An de Beatis nondum canonizatis possit celebrari missa votiva?* ℟. Cum *Pasqual.* posse, quando aliunde conceditur de eo in die anniversario fieri Missa, uti supponitur; quia hoc ipso videtur cuilibet dari facultas huic Beato hunc honorem exhibendi.

177. *An Regulares possint extra suas Ecclesias missam celebrare de suis Beatis?* ℟. Posse, quia est privilegium personale.

178. *Utrùm dies Beati incidens in diem, in quo de eo propter impedimentum Canonicum celebrari nequeat, possit transferri?* ℟. Posse, quia de Beatis conceditur Missa cum clausula, juxta Rubricas Missalis, & Breviarii; cùm ergo Rubrica velit transferri Officia impedita, etiam hæc transferenda erunt.

Missæ defunctorum.

179. *An missæ defunctorum quovis die celebrari possint?* ℟. Certum esse, quòd possint omnibus diebus, quibus votivæ dici possunt, nisi obstet aliqua declaratio S. Congregationis, & probabiliùs etiam in feriis privilegiatis; quia Rubrica non excipit, nisi festa duplicia & Domi-

minicas; & animæ purgantes videntur majorem favorem exigere, quàm causa Missarum votivarum.

180. *An aliquando etiam in duplicibus festis?* ℞. Si sint Chori tantùm, posse & in his pro implenda voluntate testatoris, seu fundatoris, quia hæc voluntas est privilegiata, superans Rubricam.

181. *An quando solenne Requiem dici potest in duplici festo Chori, ut in die Depositionis, tertio, septimo, trigesimo, dici etiam possint privatæ Missæ de requiem?* ℞. Probabiliter posse, cùm hi dies specialiter sint ab Ecclesia instituti ad suffragandum defunctis; ac proinde videntur Rubricæ cedere debere huic Ecclesiæ institutioni, ne inducatur in legem contrarietas.

182. *An in festis de præcepto celebrari possint in Exequiis Missæ privatæ de requiem?* ℞. Probabiliùs posse saltem sub ipsis Exequiis, cùm eô tempore solemnitas diei cedere debeat; & si solennis Missa conceditur, cur non privata, quæ est quasi pars illius.

183. *An in festo fori possit celebrari Requiem de die Anniversario, tertio, septimo, &c. solenniter?* ℞. Non posse, sed debere anticipari, aut transferri; quia dies hi non præponderant celebritati diei talis, ad quem præcipitur communis populi concursus.

184. *An saltem si sit dies obitus?* ℞. Posse, etiam in festis primæ clasis (si non sint ex ma-

majoribus) celebrari Requiem in die obitûs; quia ex declaratione S. Congreg. habent DD. quòd si dies obitûs incidat in diem Resurrectionis, Missa debeat differri in sequentem diem; sequens autem dies est primæ classis.

185. *An feriâ quintâ majoris hebdomadæ, vel Sabbatho Sancto dici possit Requiem in die obitûs solenniter?* ℞. Posse; quia hi dies, quamvis privilegiati sint, non tamen censentur valde solennes, & aliunde admittunt plures Missas. Rubrica autem à tali Requiem solùm excipit magnam diei solennitatem.

186. *Quo tempore deberet hæc Missa his diebus celebrari?* ℞. Feriâ quintâ ante, Sabbatho ante vel post Missam solennem diei. Quia feria quinta per Missam solennem quasi clauditur tempus celebrandi, tam pro illo, quàm sequenti die. Sabbatho verò, cùm non habeatur similis specialis ratio, poterit celebrari ad libitum.

187. *An Missa de requiem plus prosit defuncto, quàm alia qualibet?* ℞. Cum communi per se plùs omninò prodesse propter specialem fructum consurgentem ex precibus & toto ritu ab Ecclesia pro suffragio Defunctorum institutis, & à celebrante nomine Ecclesiæ tam sanctæ à DEO acceptæ offerentis, quod aliæ Missæ non habent.

188. *An in festo duplici Missa de Requiem aliquando celebrari possit ad instantiam petentium?* ℞. Cum Pasq. probabiliùs posse in dupli-

cibus

cibus Chori; quia quamvis ob Rubricam hæ Missæ dici nequeant ordinariè in duplicibus, tamen ob justam causam conceduntur, v. g. in anniversario, tertio, septimo, &c. Videtur autem etiam petitio ex devotione erga defunctos esse causa justa, maximè si petens valde turbaretur, dum ei negaretur.

189. *An missæ de Requiem celebrari possint pro viventibus?* ℞. Non posse; quia Pius V. præcipit strictè servari ritum Missalis Romani in celebratione Missarum. Ritus autem ille est pro defunctis, & non pro vivis, in ordine ad requiem celebrandum præscriptus.

190. *An in die animarum (idem est de Conventualibus defunctorum) sit obligatio applicandi missam generaliter pro omnibus animabus?* ℞. Probabiliùs non esse, sed posse applicari ad libitum; quia Ecclesia non præcipit applicationem fructus specialis, scilicet satisfactionis, sed solùm fructus generalis impetrationis, quatenus offertur nomine Ecclesiæ.

191. *An omittens* Sequentiam, Dies Iræ, *in missa Defunctorum, peccet mortaliter, cùm videatur pars notabilis?* ℞. Probabiliùs peccare solùm venialiter; cùm enim non sit pars integralis Missæ simpliciter, per ejus omissionem propriè non mutilatur Missa.

192. *An obligatus celebrare pro Defuncto in Altari privilegiato satisfaciat celebrando alibi cum applicatione Indulgentiarum?* ℞. Pro-

Probabiliùs negativè; quia Indulgentia numiſmatis communiter non eſt ita certa, ſicut Altaris privilegiati.

193. *An obligatus dicere Miſſam pro Defuncto in privilegiato teneatur dicere requiem?* ℟. Si privilegium Altaris ſit tantùm de Requiem, certum eſt obligari ad Requiem.

194. *An celebrans in Altari privilegiato Requiem poſſit applicare uni defuncto fructum ſacrificij, alteri Indulgentiam?* ℟. Si tenor privilegii quoad Indulgentiam ſit talis: *Sacerdos dicendo Miſſam pro defuncto liberat ejus animam ex purgatorio*; tunc Indulgentia non ſuffragatur, niſi animæ, pro qua celebrans offert ſacrificium.

195. *Quid ſi ergo tenor privilegii ſit talis: Quoties Miſſam quis dixerit in tali Altari, toties liberat animam ex purgatorio?* ℟. Tunc poterit uni ſacrificium, alteri Indulgentia applicari, quia tunc ſufficit Miſſam celebrare in tali Altari, tanquam opus pium injunctum ad liberandam animam.

196. *Utrùm defunctis magis proſit Miſſa ſolennis, quàm privata?* ℟. Saltem quoad fructum impetrationis, magis prodeſſe ſolennem; tum quia celebratur cum majori attentione & devotione; tum quia cum majori decentia & ornatu, ex quo major DEI cultus reſultat; tum quia ad illam plures Miniſtri & offerentes, ſive ad Altare, ſive in Choro concurrunt,

197. *An non plus prodesse possit etiam quoad fructum satisfactionis?* ℟. Posse; quia præter fructum satisfactionis principalem, provenit probabiliter ex sacrificio singulis adstantibus & offerentibus cum Sacerdote fructus specialissimus ex opere operato, quem licèt assistentes in Choro, & in Ecclesia non teneantur offerre pro defunctis, facilè tamen contingit, ut plures applicent simul cum fructu impetrationis.

Defectus Missæ supplendi.

198. *An defectus Missæ supplendi sint?* ℟. Aliquos esse supplendos, aliquos non, pro eorum diversitate.

199. *Quotuplices sunt generatim Missæ defectus?* ℟. Alios esse substantiales, eósque vel essentiales, vel solùm integrales; alios accidentales, eósque vel circa partes essentiales, vel circa integrales, vel circa accidentales principaliores, vel minùs principales.

200. *Ex quibus capitibus potest oriri defectus substantialis?* ℟. Ex materia, forma & intentione Ministri.

201. *Debéntne suppleri defectus substantiales Missæ?* ℟. Debent, sive sint essentiales, sive tantùm integrales; quia vel nullum fieret sacrificium, vel imperfectum.

202. *Quæ est obligatio præcavendi defectus accidentales Missæ?* ℟. Esse vel sub mortali, vel sub veniali, juxta materiæ quantitatem.

203. *Súntne defectus accidentales Missæ supplendi?* ℞. Non esse supplendos, nisi quando suppleri possunt absque eo, quòd invertatur ordo Missæ. Si enim esset invertendus ordo Missæ, major difformitas oriretur ex suppletione, quàm ex ipso defectu.

Defectus substantiales supplendi in materia.

204. *Quomodo supplendi sunt defectus substantiales materiæ?* ℞. Si defectus ante consecrationem advertatur, nec possit haberi materia apta, debet relinqui Missa, in quocunque statu reperiatur, ad evitandum sacrilegium per consecrationem materiæ ineptæ.

205. *Debétne etiam relinqui Missa, si ante consecrationem advertatur defectus sumptionis subsecuturus?* ℞. Debet relinqui; cùm enim consumptio ad integritatem substantialem sacrificii spectet ex Jure Divino, qui est inhabilis ad consumendum, censetur etiam inhabilis ad sacrificandum.

206. *Si post consecrationem advertatur defectus substantialis alicujus materiæ, quid agendum?* ℞. Debere consecrari novam materiam aptam, si advertatur post sumptionem, sive ante illam; quia ad essentiam sacrificii requiritur consecratio utriusque speciei.

207. *Quid si autem in dicto proximè casu non possit inveniri nova materia apta ad con-*

secrandum? ℟. Tunc prosequendam esse Missam more consueto, omissis cæremoniis supradictam speciem concernentibus; quia cœptum sacrificium debet perfici eo meliori modo, quo potest.

208. *Quid agendum, si sumptâ unâ specie deprehendatur defectus substantialis alterius?* ℟. Illam tantùm speciem esse de novo consecrandam, quæ deprehensa est, non esse consecrata; quia sicut in Sacramentis, ita & hîc illud tantùm supplendum quod defuit; nec curanda est quoad hoc Rubrica contrarium præscribens, quia est tantùm directiva, juxta opinionem Doctorum illius temporis.

209. *Quid agendum, si in utraque specie advertatur defectus substantialis?* ℟. Probabiliùs esse supplendum, si advertatur post consecrationem, & haberi possit brevi tempore materia apta; & probabiliter etiam si advertatur post sumptionem; quia aliàs cultus ille Ritualis Missæ ex sui institutione ad sacrificium ordinatus remaneret vacuus & falsus.

210. *Quid autem, si post consecrationem deficiat aliqua species, ut vel evanescat, vel à vento, vel ab animali rapiatur, effundatur? &c.* ℟. Cum communi de novo consecrandam illam speciem, quæ deficit, ut sit sacrificium etiam integraliter perfectum.

211. *Quid agendum, si aliqua ex speciebus consecratis mutetur miraculosè in aliam formam?* ℟. Cum communiori, sive utraque species sic

immutetur, sive una tantùm, nihil esse de novo consecrandum, sed in secundo casu illa species consumenda esset, quæ non est mutata; quia in primo casu, si nova fieret consecratio, novum fieret Sacrificium; ac proinde nihil suppleretur, quia alterum maneret inconsumptum. In secundo verò casu extaret totum sacrificium essentialiter, ac proinde si nova species consecraretur, & sumeretur, hôc ipsò partialiter novum sacrificium consumeretur.

212. *Quid si aliqua ex speciebus veneno infecta reperiatur?* ℟. De hoc casu eodem modo discurrendum, sicut de proximo priori; parùm enim refert, sive ex uno, sive ex alio capite reddatur impossibilis sumptio sacrificii essentialiter perfecti.

213. *Si post sumptionem advertatur, species fuisse veneno infectas, quid agendum?* ℟. Posse quodcunque remedium adhiberi, etiam vomitus procurari ex communi Doctorum; cùm enim sacræ species potuissent non sumi, si illarum infectio nota fuisset, poterunt etiam ejici tanquam malè sumptæ.

214. *An possit hostia fracta adhiberi ad sacrificium?* ℟. Juxta Rubricam, si advertatur fracta ante oblationem, debet alia accipi præciso scandalo; post oblationem verò debet eadem consecrari, nisi fractura evidenter appareat populo; & si timeatur scandalum, debet alia accipi, offerri & consecrari, & prior oblata sumi, post sumptionem sacrificii.

215. *Quale peccatum foret adhibere hostiam fractam?* ℟. Si adhuc sit apta ad servandos ritus præscriptos, non esset plus, quàm veniale, quia foret potiùs tantùm contra accidentalem perfectionem & majorem pulchritudinem, quàm contra aliquid necessarium.

216. *Quid si post consecrationem hostia frangeretur totaliter ad duas partes?* ℟. Tunc adhibendam majorem partem ad ritus peragendos.

217. *Quale peccatum foret, adhibere hostiam maculatam?* ℟. Si leviter foret maculata, esset veniale; si graviter, mortale; quia esset gravis irreverentia.

218. *Forétne peccatum, si hostia ablata quidem, sed non consecrata ob fracturam, non sumeretur post sumptionem sacrificii?* ℟. Nullum foret, dummodo aliunde reverenter tractaretur, quia Rubrica illa est tantùm directiva, & non præceptiva.

219. *Quid faciendum, si hostia consecrata incidat in calicem?* ℟. Ex Rubrica, ad ritus peragendos adhibendam esse partem ejus non madefactam. Si autem tota madefieret, recitanda sunt omnia consueta, omissis signis & cæteris ritibus, simúlque sumenda utraque species, dicendo: Corpus & sanguis, &c.

Defectus Vini.

220. *Quid agendum, si advertatur, aquam non*

non fuisse mixtam vino? ℞. Miscendam, si ante consecrationem advertatur; secùs si post illam, quia jam erit mixtio inutilis.

221. *Quid si dum est inchoata consecratio calicis, advertatur non esse mixtam aquam?* ℞. Inceptis illis verbis: *Simili modo, &c.* non ampliùs esse locum mixtioni; quia consecratio jam est cœpta, ideóque exigit perfici ex vi institutionis sacrificii.

222. *An vinum congelatum consecrare sit licitum?* ℞. Cum Pasq. assumere quidem vinum congelatum pro consecrando seclusâ necessitate non cariturum veniali ob defectum diligentiæ requisitæ. At in calice congelatum consecrare nullum videri peccatum; quia est materia certa, nec constat de prohibitione; nec foret irreverentia, cùm congelatio non reddat materiam deteriorem.

223. *Quomodo sumendæ species post consecrationem congelatæ?* ℞. Pannis calidis, vel immersione calicis in aquam calidam, vel alio modo resolvendam glaciem; si autem diu esset expectandum, judicarem potiùs cum Pasq. sumendum in os sanguinem congelatum, ibique resolutum glutiendum; videtur enim sufficere ad potum, ut in ore fiat proximè potabilis.

224. *An sit peccatum uti aquâ vel vino nive infrigidato pro consecratione?* ℞. Cum Pasq. per se nullum peccatum videri; quia quamvis alteretur, non tamen alteratur ad destructionem. Idem dicendum, si hyeme perfrigidâ

utaris aquâ, vel vinô aliquantum calefactô, ne tam citò congeletur.

225. *Si hostia consecrata labatur aliquò, quid agendum?* ℟. Rubrica jubet terram radi, si labatur in eam, mundari, & rasuram in Sacrarium projici; si in mappam, vel linteum, vult illa diligenter lavari, & lotionem in Sacrarium effundi.

226. *Quid si sanguis effunderetur?* ℟. Ex Rubrica, terram debere lambi à Sacerdote; ex lapide Altaris debere sorberi ab eodem; lintea debere ter ablui; corporale & vestes sacerdotales pariter ablui; Bannum vel tapetem etiam ablui. Rasurâ etiam combustâ & ablutiones in sacrarium projici.

227. *Quomodo peccatur, si omittantur ea, quæ præscribuntur agenda, dum species consecratæ labuntur in terram, vel aliò?* ℟. Si in casu lapsus sanguinis omittantur substantialia, quæ præscribuntur, fore peccatum mortale; veniale verò, si aliquid leve omittatur, ob irreverentiam, quæ committeretur.

228. *Quid autem dum laberetur Corpus Christi?* ℟. Futurum tantùm peccatum veniale; quia circa Corpus Christi nec tantæ diligentiæ præscribuntur in jure, nec tantum periculum est irreverentiæ, quantum circa sanguinem, qui imbibitur in materia, supra quam cadit.

229. *Quid agendum, si Sanguis cadat supra barbam celebrantis?* ℟. Illam non radendam,

ſed ſolùm lavandam ; quia raſura barbæ nec à jure, nec à Rubrica injungitur.

230. *An pœna impoſita pro effuſione ſanguinis in* Capit. ſi per neglig. de Conſ. diſt. 2. *hodie ſint in uſu?* ℟. Non eſſe ; quia abierunt in deſuetudinem, tanquam nimis ſeveræ.

231. *Quid agendum, ſi particula decidat intra pectus communicantis?* ℟. Si ſit mulier, committendum eſſe ipſi, aut alteri mulieri, ut excipiat & lavet ; quia minor erit indecentia tangi à muliere Sacramentum, quàm mulierem à Sacerdote.

232. *Quid faciendum de particula reperta circa Altare?* ℟. Si dubitetur, an non ſit conſecrata, ſumendam eſſe ſtatim poſt ſumptionem ſanguinis ; vel ſi ſacerdos horreat ſumere, conſervet in tabernaculo, donec corrumpatur, poſtea combuſtæ cineres projiciat in ſacrarium.

Defectus Formæ.

233. *Quando eſt ſupplendus defectus ſubſtantialis formæ?* ℟. Si certò conſtet eſſe commiſſum defectum ſubſtantialem, ſemper repetendam eſſe formam ; aliàs non conficeretur Sacramentum.

234. *An tunc tota forma ſit repetenda, vel ſufficit verbum omiſſum pronunciare?* ℟. Totam eſſe repetendam ; quia ſolum verbum non ſignificaret cum cæteris pro priori prolatis.

235. *Quid in dubio, an sit forma repetenda?* ℟. Si sit negativum ex eo, quòd non recordetur, aut non habeat positivum fundamentum se consecrâsse, nihil supplendum, quia præsumendum est de validitate; nisi saltem probabiliter constet de opposito.

236. *Quid si autem dubium fundetur in argumentis valde probabilibus?* ℟. Tunc repetendam esse formam sub conditione. Repetendam, ut certificetur consecratio; sub conditione verò, ne sit periculum inutilis prolationis verborum.

237. *Quid si probabile sit, defectum commissum esse, ac etiam probabile, non esse commissum?* ℟. In eo casu, si certum est defectum illum esse substantialem, debere repeti consecrationem; quia aliàs sacrificium exponitur periculo nullitatis.

238. *An defectus formæ ex omissione verborum, quæ secundùm aliquos sunt substantialia, secundùm alios non sunt, sit supplendus repetitione totius formæ?* ℟. Cum Quarti & Pasqual. non esse supplendum; quia stante opinionum conflictu, verba, de quibus est controversia, non acceptantur ab Ecclesia tanquam essentialia; aliàs si acceptarentur, hoc ipso prohiberet opinionem negantem esse substantialia.

239. *An si contingat defectus substantialis utriusque formæ, sit repetenda consecratio?* ℟. Si id advertatur ante sumptionem, esse repeten-

tendam, ut scilicet compleatur, non quidem sacrificium inchoatum, sed cultus inchoatus celebrationis Missæ, quo se celebrans obligavit DEO ad munus perficiendum.

240. *Quid si id advertatur primò post sumptionem?* ℞. Judicat Pasqual. probabile, quòd possit reperi consecratio, ne cultus, qui exhiberetur DEO in Missa, remaneat vacuus contra virtutem Religionis, quæ videtur prævalere posse contra præceptum de jejunio juris solùm Ecclesiastici.

241. *An si ex errore proferatur forma sanguinis supra panem, sit calix iterum consecrandus?* ℞. Si consecrationem celebrans direxit nihilominùs ad calicem, malitiosè quidem egit, sed calix manet consecratus, quia supponitur fuisse præsens. Si verò direxit per errorem ad panem, calix non est consecratus, quamvis fuerit præsens; quia præter præsentiam requiritur, ut Forma debita proferatur supra materiam, ac per intentionem Ministri ad eam dirigatur.

Defectus Intentionis.

242. *Qualiter supplendus defectus Intentionis?* ℞. Supplendum esse repetitione ipsius Formæ; quia sine intentione non fuit Forma Sacramentalis. Notandum autem, vix possibilem esse intentionis defectum; cùm enim sufficiat virtualis, hoc ipso, quòd functiones Missæ

exerceantur voluntariè, adest virtualis intentio conficiendi sacrificium.

243. *Unde incipienda est repetitio consecrationis?* ℟. A verbis: *Qui pridiè*. Vel: *Simili modo*; & quidem probabiliùs sub peccato mortali, quia verba hæc sunt determinativa sensibili modo, ut Forma proferatur in persona Christi; ac proinde omittendo illa, videtur aliquid notabile detrahendum Formæ.

Missa ab alio supplenda.

244. *An & quando sit supplenda Missa ab uno inchoata per alium Sacerdotem?* ℟. Si celebrans deficiat consumptâ utrâque specie, nihil supplendum esse, quia est defectus solùm accidentalis.

245. *Quid si deficiat ante cœptum Canonem?* ℟. Etiam non esse supplendum, quia sacrificium nondum inchoatum est, sed tantùm ritus præparatorii pro sacrificio.

246. *Quid autem si Canon jam erat inchoatus?* ℟. Cum Pasqual. Nec tunc esse supplendum; quia id nec à jure exigitur, cùm nondum sit propriè sacrificium inchoatum, scilicet quoad substantiam; nec exigitur ex natura rei; quia orationes unius non exigunt compleri ab alio.

247. *Ergo nec erit supplendum, quando celebrans deficeret dimidia parte Forma consecrationis panis prolatâ?* ℟. Concedendo totum; quia

quia nec tunc adhuc esset sacrificium inchoatum substantialiter, cùm verba formæ non habeant suam significationem Sacramentalem, nisi dum complentur.

248. *Si pane consecrato deficeret celebrans, deberétne supplens de novo consecrare panem?* ℞. Minimè, sed solùm calicem, quia aliàs non suppleret defectum prioris sacrificii, sed institueret novum sacrificium.

249. *An si celebrans consumptâ solâ specie panis deficeret, sit per alium supplendus defectus?* ℞. Quamvis hoc non sit tam certum, quàm si neutra species esset sumpta, tamen probabiliùs esse, etiam tunc esse supplendum; quia etiam unius speciei sumptio pertinet ad integritatem sacrificii. Nec sufficeret illam speciem in alia Missa sumere, quia per hoc non compleretur sacrificium, in quo dicta species fuit consecrata.

250. *Quid agendum, si sit dubium, an celebrans deficiens consecraverit hostiam?* ℞. Cum Pasqual. quia hoc ipso dubium est, an sit substantialiter inchoatum sacrificium, erit ad libitum supplere; & si suppleatur, consecranda eadem hostia sub conditione; si non suppleatur, tunc hostia dubiè consecrata erit sumenda ab alio Sacerdote post sumptum proprium sacrificium ante sumptam purificationem.

251. *Unde debet Sacerdos alterius defectum supplens inchoare Missam?* ℞. Ibi, ubi desiit prior Sacerdos; hoc enim exigit ratio supple-

menti. Aliud eſt, ſi forma ſuppleri debeat, tunc enim jam dictum eſt, incipiendum eſſe à verbis: *Qui pridie*, vel *ſimili modo poſtquam cœnatum eſt, &c.*

252. *Si conſtet conſecrâſſe utramque ſpeciem, ſed non, in qua parte ſubſequente defecerit, ubi tunc ſuppletio inchoanda?* ℞. Cum communi, ſi per nullam conjecturam poſſit prudenter judicari, ſupplentem incipere debere ab illis verbis: *Unde & memores &c.*

253. *Quamdiu differri poſſit ſupplementum ſacrificii?* ℞. Cum Paſqual. Quamvis aliqui exiſtiment, poſſe compleri etiam ſequenti die; probabiliùs tamen videri, non poſſe ſuppleri, niſi in eodem tempore morali; quia in iis, quæ conſtant partibus ſucceſsivis, requiritur continuatio, ad hoc ut faciant unum, adeoque illa ſaltem moralis eſſe debet.

254. *Quid agendum, ſi non adſit Sacerdos, qui compleat ſacrificium?* ℞. Servandas eſſe ſpecies, donec habeatur ſacerdos, qui eas ſumat; & ſi periculum eſſet corruptionis, communis opinio eſt, in defectu Sacerdotis potiùs permittendas eſſe ſumi à laico, quàm corrumpi; ſiquidem videtur minor inconvenientia in tali caſu ſumi à laico, quàm corrumpi.

255. *An adſit obligatio ſupplendi ſacrificium incompletum?* ℞. Probabiliùs adeſſe; quia ex natura rei videntur omnes Sacerdotes eſſe

obli-

obligati ad cultum exhibendum Deo per sacrificium, ac proinde deficientibus cæteris, quilibet alius manet obligatus; igitur deficiente uno in sacrificio, obligatio supplendi transibit ad cæteros.

256. *Si plures adsint, quis ex illis tenetur supplere?* ℟. Si adsit spes, quòd ipse deficiens sit brevì recuperaturus vires, tunc completionem relinquendam esse ipsi; siquidem principalis obligatio est penes ipsum.

257. *Quid autem si hæc spes non adsit?* ℟. Primo loco omnes illos teneri supplere, qui adsunt præsentes; quia hi habent priorem notitiam reliquis, ideoque etiam priorem obligationem.

258. *Quid si præsentes sint impediti?* ℟. Absentem potentem accurrere, priùs esse obligatum, quàm præsentem, si sit impeditus, quia obligatio afficit supplere potentes, quales non sunt impediti.

259. *An etiam non jejunus teneatur supplere?* ℟. Teneri, quia prævalet integritas sacrificii præcepto Ecclesiastico.

260. *An absens teneatur absolutè accurrere ad supplendum?* ℟. Non teneri, si non possit accedere sine notabili difficultate; quia difficultas æquiparatur impossibilitati.

261. *An existens in peccato mortali teneatur supplere Sacrificium?* ℟. Teneri, etiamsi non habeat copiam Confessarii, tenerique proinde elicere contritionem; quia hæc obli-

obligatio oritur ex ratione muneris sacerdotalis, ideóque debet se reddere habilem ad id.

262. *An impeditus canonicè per censuras aut irregularitatem teneatur supplere?* ℟. Teneri in defectu aliorum; quia obligatio supplendi sacrificium est altioris juris, quàm hæ Censuræ.

263. *An supplens defectum Sacrificii teneatur dare partem Hostiæ consecratæ deficienti?* ℟. Probabiliùs non teneri, nisi pro viatico nulla alia particula adesset; quia deficiens vel habet jus ad sumendum illud sacrificium, vel non habet. Si habet, deberet ipsi dari sub utraque specie; si non habet, non erit obligatio ipsi ministrandi ex eadem Hostia.

264. *An si post oblationem factam adferantur particulæ consecrandæ, acceptari possint & suppleri defectus?* ℟. Novam materiam non oblatam suo loco, non debere acceptari, nisi ex valde gravi causa, & tunc illam esse specialiter offerendam saltem mentaliter; quia cùm oblatio sit pars principalis, omittenda non est; & cùm possit sufficienter reddi sensibilis per oblationem factam principalis Hostiæ, sufficit mentalis oblatio.

265. *Quæ causa possit esse sufficiens ad consecrandas tales Hostias?* ℟. Si forent necessariæ ad ministrandum viaticum, vel pro commu-

municandis hominibus in magno concursu, & die celebri.

266. *Quo tempore possunt adhuc tales particulæ acceptari?* ℟. Inchoato canone nullo modo ampliùs esse acceptandas, quia cum canone jam inchoatur ritus sacrificii, qui perturbari non debet. Et tunc pro viatico ministrando satiùs esset, partem Hostiæ majoris consecratæ servare, quàm aliam consecrandam acceptare.

Ministrans celebranti.

267. *An & quo jure est ministrans necessarius celebranti Missam?* ℟. Non esse necessarium jure Divino, utpotè non spectantem ad substantialia sacrificii, sed tantùm jure Ecclesiastico. *Ex Capit. Hoc quoque de consecr. dist. 1.*

268. *An sufficiat unus ministrans?* ℟. Olim debuisse esse minimum duos. *Ex Capit. Hoc quoque cit.* Hodie sufficere unicum ex communi & universali praxi Ecclesiæ quoad privatas Missas.

269. *An sit peccatum, celebrare Missam sine ministrante?* ℟. Cum Pasqual. seclusâ necessitate probabiliùs esse peccatum mortale, quia de jure communi requiritur, nec illud jus abrogatum est per consuetudinem, nisi quoad pluralitatem ministrantium. Si tamen in Germania Parochi celebrent sine

mi-

ministro, faciunt vel ex aliqua necessitate, vel quia fortè consuetudo introducta abrogavit legem.

270. *An ex causa necessitatis liceat celebrare Missam sine ministrante?* ℟. Licere ob quamcunque gravem necessitatem; quia adhibere ministrum, est solùm juris Ecclesiastici, idque tantùm quoad decentiam, cui juri videtur prævalere necessitas sacrificandi.

271. *Quæ causæ possunt esse celebrandi sine ministrante?* ℟. Necessitatem dandi viaticum, audiendi Missam die festo, satisfaciendi obligationi, legendi sacrum ob beneficium, aut alium titulum justitiæ; continuanda etiam est Missa, si eâ inchoatâ minister recedat; si Sacerdos non habeat, unde se sustentet, acceptque, vel offertur illi stipendium pro Missa, utì etiam tempore pestilentiæ ad vitandum periculum infectionis.

272. *An fœmina possit ministrare celebranti Missam?* ℟. Cum communi non posse; quia per canones omninò excluduntur à ministerio circa Altare. Et multi existimant peccaturum mortaliter, qui fœminam adhiberet.

273. *Quomodo ergo Moniales respondent Missam cantantibus?* Resp. Hoc prohibitum non esse, remotè ex Choro respondere, quia non est propriè ministerium circa Altare.

274. *An saltem in casu necessitatis possit fœmina ministrare ?* ℟. Potiùs celebrandum sine ministro, quàm fœminam admittendam; quia est minor indecentia, & tum ipse Sacerdos sibi respondere poterit, vel fœmina à longè respondere; pro urceolis autem porrigendis poterit aliquis constitui, qui respondere nesciat.

275. *An in Missa solenni sint necessarii plures ministri ?* ℟. Esse plures necessarios ex praxi Ecclesiæ, & secundùm quid ex institutione Divina, quatenus constat saltem Diaconatum originem traxisse ex institutione Christi.

276. *Quæ est obligatio ministrantis celebranti Missam ?* ℟. Sacerdotem peccare probabiliùs mortaliter, si spontè adhibeat ministros omninò ignaros, quia cooperatur magnæ indecentiæ. Ipsum verò ministrum existimant Doctores regulariter excusari à mortali, nisi sit causa, quòd committatur gravis error, idque scienter.

277. *An in necessitate adhiberi possit ministrans excommunicatus ?* ℟. Posse adhiberi in gravi necessitate excommunicatum non vitandum, quia cum illo est permissa communicatio etiam causâ utilitatis. Excommunicatum verò denunciatum nullo modo posse adhiberi, sed potiùs celebrandum sine ministro; quia prævalet præceptum de non communicando cum tali.

278. *Utrùm filius possit parenti celebranti ministrare?* ℞. Si sit filius legitimus, nihil prorsùs obstare; illegitimus autem graviter prohibetur ob indecentiam. *Capit. Cùm decorum, de filiis presbyterorum.* Aliud est sentiendum, si sit ignotum, quòd sit filius illius. *Ex Cap. Conquerente, de filiis Presbyterorum,* quia tunc cessat indecentia.

Tempus Missæ dicendæ.

279. *An diebus omnibus liceat sacrificium offerre?* ℞. Per se esse licitum; propter mysteria autem excipiuntur aliqui dies Hebdomadæ Majoris, de quibus infrà videbimus.

280. *An in feria quinta Majoris Hebdomadæ liceat privatas Missas celebrare?* ℞. Cum communi, posse & privatim, & publicè, idque teste Pasqual. etiam Romæ in pluribus Ecclesiis practicatur. Neque ubi contrarium fieri consuetum est, introducta est consuetudo animô se obligandi, maximè cùm omnes ferè Doctores ita sentiant, &, ut dixi, in multis etiam Ecclesiis contrarium practicatur.

281. *An hæ Missæ celebrari possint etiam post Missam solennem?* ℞. Non posse; quia jam tunc incipit tempus Parasceves, in quo non licet celebrare, ideo & Altaria denudantur.

282. *An Episcopi & Prælati peccent, permit-*

mittendo illa die omnes Sacerdotes legere Sacrum, ita, ut non habeatur communio Cleri? ℟. Non peccare, quia adhuc Clerus inferior communicare potest. Et quamvis nullus communicaret, nihil obest; quia non est ritus gravis, nec est obligatio communicandi.

283. *An Sacerdos tunc sine Stola communicans, peccet graviter?* Non peccare: quia licèt Concilium Bracharense id sub excommunicatione præcipiat, illud tamen tantùm fuit Provinciale, nec putatur illud præceptum hodie in vigore esse.

284. *An dictâ feriâ quintâ possit celebrari in qualibet Ecclesia?* ℟. Esse aliquod Decretum Sacræ Congr. in contrarium. Sed Pasq. putat, illô solùm prohiberi illas solennitas, quæ in Parochialibus fieri solent.

285. *An feriâ sextâ Majoris Hebdomadæ liceat offerre sacrificium?* ℟. Peccaturum mortaliter, qui illô die sacrificaret, propter gravitatem mysterii. *Ex Capit. Sabbatho, de Consecr. dist. 3.*

286. *An non liceat saltem pro ministrando viatico?* ℟. Cum Pasqual. videtur secretò celebrari posse, siquidem quæ non licent publicè, secretò fieri possunt. *Capit. Tua fraternitatis, de Cler. peregr.*

287. *Qualis autem tunc Missa celebranda esset?* ℟. Omnium optimè votiva de Passione, utpote tempori maximè conveniens.

288.

288. *Licétne feriâ sextâ Parasceves communicare?* ℟. Per se non videtur licere. *Ex Capit. Sabb. cit.* ubi dicitur: *Sacramenta penitùs non celebrari.* Vox autem *penitùs* significat in totum, seu totaliter; si tamen sit contraria consuetudo, scrupulus habendus non est.

289. *An in Sabbatho Sancto liceat privatas Missas celebrare?* ℟. Licere quoad Missas privatas sive secretò, sive publicè; quia cessavit prohibitio quoad hoc. *Ex Capit. Sabbatho, de consec. dist.3.* utpote cujus finis cessavit, qui erat, ut celebretur Dominica passio in mœstitia; siquidem jam Ecclesia celebrat lætitiam Resurrectionis.

290. *An si in Sabbatho Sancto incidat Festum Annunciationis B. V. possint celebrari Missæ?* ℟. Posse publicè celebrari tunc Missas privatas; quia adest sufficiens causa, ratione cujus cessare potest admiratio populi, quæ aliàs difficilem redderet celebrationem in illa die, nisi populus priùs instrueretur.

291. *Quænam Missa tunc privatim celebranda esset?* ℟. Probabiliùs non votivam, sed diei Missam celebrandam esse, quia est dies maximè privilegiata.

292. *At Missa illius diei caret introitu?* ℟. Cùm non habeat, omittatur; sicque servabitur ritus præscriptus; ac proinde factâ confessione, dicatur Kyrie eleison; & ita servari

Romæ in Ecclesia S. Marthæ, scribit Pasqualigus.

293. *Quo tempore potest in Sabbatho Sancto celebrari Missa privata?* ℟. Aliquos docere, quòd possit celebrari etiam ante Missam solennem, alios negare. In praxi judicarem potiùs celebrandum inchoatâ Missâ solenni, vel post.

Missæ iteratio eodem die.

294. *An liceat pluries in die offerre sacrificium Missæ?* ℟. De Jure Ecclesiastico, seclusô die Nativitatis Domini, non licet nisi semel in die offerre sacrificium regulariter loquendo. *Ex Cap. Sufficit, de consecr. dist. 1. Cap. Consuluisti de celebr. Missarum. Et Capit. Te referente, de celebr. Miss.*

295. *An ordinatus in die Nativitatis Domini, possit celebrare duas alias Missas?* ℟. Tam Episcopum eô die consecratum, quàm Presbyteros eô die ordinatos posse celebrare duas residuas Missas; quia ii concelebrant & coofferunt sacrificium cum consecrante & ordinante, neque communicant laico modo, sed Sacerdotali, videlicet species à se etiam consecratas.

296. *Quid si autem ordinatio fieret sub ultimo sacro diei?* ℟. Cum Pasq. probabile est, quòd adhuc possent etiam reliquas priores duas Missas celebrare; quia ordo ille Missa-

rum

rum non videtur ita necessarius, ut ex rationabili causa non possit inverti, sicut communiter docetur de ordine Breviarii.

297. *Cur ergo, si quis illo die laico modo communicaret, non posset amplius Missam celebrare?* ℟. Quia in die Nativitatis conceditur tantùm terna celebratio; ac proinde ter intra sacrificium, & nullô modô extra sacrificium communicare, suppositâ Missâ.

298. *An liceat nocte Nativitatis Domini omnes tres Missas celebrare?* ℟. Cum Quarti, posse absque omni scrupulo, & est in usu, etiam Romæ: Rubrica autem videtur esse solùm pro Missis solennibus.

299. *An Sacerdos in die Nativitatis Pontificans, dum sub dimidiato sacro habetur concio, possit privatim legere sacrum, alterum ejusdem diei?* ℟. Videri, quòd non possit, quia inchoata Missa videtur exigere, ut non interponatur aliquid, quod posset turbare ordinem Missæ; Missa autem interposita posset turbare, quia illa inchoatio duplex posset spectare ad utrumque sacrificium. Ex quo apparet disparitas, quare in dicto casu aliæ actiones sint licitæ, siquidem hæ non spectant ad Missam, & ideo non sunt aptæ ad novum ritum inducendum.

300. *An in die uno ab eodem celebrari possit una Missa de die, altera pro defunctis?* ℟. Hoc tempore non posse, quia non judicatur esse tanta necessitas iterandi sacrificium.

301. *Qualis debeat esse necessitas, ut possit eodem die iterari Sacrificium?* ℟. Debere esse strictam necessitatem saltem moralem; quia quando *Innoc. III. in Cap. Consuluisti*, dicit: *Nisi causa necessitatis suadeat, &c.* dispensat in lege prohibente iterationem sacrificii, dispensatio autem requirit veram necessitatem.

302. *An quando in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis celebrandæ essent duæ Missæ, & unus tantùm adest Sacerdos, sit sufficiens necessitas iterandi sacrificium?* ℟. Probabiliùs non esse; quia juxta Pasq. obligatio cantandi duas Missas conventuales, est posterior obligatione tantùm semel celebrandi de die; ac proinde illa obligatio imposita est salvo jure, & quando secundùm ritum Ecclesiæ impleri potest.

303. *An Benedictio Nuptiarum sit causa sufficiens iterandi Sacrificium?* ℟. Non esse, quia benedictio fieri potest absque celebratione Missæ; consuetudo autem celebrandi non est obligatoria, ideóque cedere debet præcepto vetanti bis celebrare.

304. *An superveniente Episcopo, Principe, Magnate, possit iterari sacrificium?* ℟. Non posse, etiam die festo, (quamvis multi Antiqui contrarium tenuerint, non sumptâ purificatione) quia in *Capit. Consuluisti, de Celebr. Missar.* non licet celebrare iteratò pro adulatione sæcularium; videtur enim habere locum

adulatio, dum iteratur Missa, in obsequium sæcularium, & intuitu qualitatis personæ. An autem fieri posset iteratio, si haberent hi secum magnum numerum personarum, paulò pòst dicetur.

305. *An Sacerdos, qui celebravit pro Episcopo, vel Principe, possit denuò celebrare pro populo?* R. Si Sacerdos sit obligatus legere utrique parti, & Episcopus nec ipse possit legere, nec alium habeat, nec possit expectare Missam ordinariam, poterit iterari, seu bis legi Missa; quia cùm Sacerdos die festo (qualis esse supponitur) teneatur & Episcopo & populo impendere suum officium, & non possit per eandem Missam, erit sufficiens necessitas celebrandi duas Missas.

306. *An die festo, si superveniat notabilis multitudo itinerantium, possit iterari celebratio Missæ?* R. Non posse, quia non est sufficiens necessitas; nam vel ratione itineris excusantur ab audienda Missa, & tunc cessat necessitas; vel non excusantur, & tunc si sunt culpabiles, jam frustrà illis legeretur sacrum; si verò non sunt culpabiles, hoc ipso cessat obligatio præcepti.

307. *An paupertas Sacerdotis, vel Ecclesiæ est causa sufficiens iterandi Missam?* R. Non esse sufficientem, ex *Capit. sufficit, de consecr. dist.* 1. ibi: *Qui verò pro pecuniis unâ die præsumunt plures facere Missas, non æstimo evadere damnationem.*

308. *An si in aliqua Ecclesia die festô sit consuetudo celebrandi duas Missas ob commoditatem populi, & constitutus pro secunda Missa deficiat viribus, possit unus iterare Missam?* ℞. Non posse, quia consuetudo non facit necessitatem celebrandi duas Missas, maximè cùm hæ serviant tantùm commoditati.

309. *An quando multitudo populi non potest capi ab Ecclesia, & adest unus solùm Sacerdos, possit iterare Missam?* ℞. Posse, ex *Capit. Necesse est, de Consecr. dist. 1.* ibi: *Illud quoque volumus custodiri, ut cùm solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & cùm tanta fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, &c.*

310. *Quid si autem pro eo die non esset auditio Missæ de præcepto?* ℞. Adhuc posse Missam iterari; quia canon universaliter loquitur: *Quando festivitas solennior inducit frequentioris populi concursum*; ne Ecclesia videatur eos illudere, dum ratione festivitatis invitat, & postea non recipit intra Ecclesiam.

311. *An pro ministrando viatico possit iterari Missa?* ℞. Cum communi posse in tali casu, quo celebranti post sumptas species panis innotesceret, infirmum probabiliter non perventurum ad sequentem diem; quia via-

ticum est utcunque necessarium in articulo mortis, vel ex præcepto, vel ex natura rei ad conservationem vitæ spiritualis.

312. *An Sacerdos, qui habet duas Parochias, possit eodem die priùs in una, posteà in altera celebrare?* ℟. Posse, servato jejunio, (quod etiam in prioribus casibus supponitur) si ob paupertatem non posit habere alium Sacerdotem; quia Parochus ratione muneris tenetur pascere oves suas, inter reliqua autem, quibus pascuntur, est sacrificium Missæ, aliunde etiam ab Ecclesia præceptum, ut hìc supponitur. Ergo. Imò tali casu non tantùm poterit, sed tenebitur iterare, si alium non posit substituere.

313. *An habens duas Parochias, possit iterare Missam etiam in diebus profestis?* ℟. Non posse, nisi sint tales dies, quos populus per modum festorum colit; quia aliis diebus Parochus ratione muneris sui non tenetur celebrare.

314. *An Parochus habens tres Parochias, possit in singulis celebrare die festo?* ℟. Posse; quia facultas iterandi Missam fundatur in causa necessitatis; multiplicatâ igitur necessitate, multiplicabitur, seu extendetur facultas.

315. *An Parochus, postquam celebravit in propria Parochia, possit etiam in aliena celebrare deficiente Parocho loci?* ℟. Posse in diebus

festis; quia quamvis per se in aliena non teneatur servire, tamen Parochus loci habet potestatem substituendi, & tunc substitutus consentiens in substitutionem, assumit in se obligationem substituentis, tenetúrque servire, sicut in propria.

316. *An habens plures Parochias, possit feriâ quintâ majoris hebdomadæ servare in singulis Eucharistiam sequenti die consumendam?* ℟. Quamvis die Jovis S. debeat celebrare in singulis Parochiis, tamen juxta communem sententiam, debet conservare Eucharistiam tantùm in Parochia principaliori; quia in Parasceve secundò celebrans, Eucharistiam deberet sumere non jejunus, cùm in prima celebratione debeat sumere vinum, cui miscetur pars Hostiæ; non est autem dispensatio pro hoc casu non jejuno celebrandi.

317. *An quando occurrit casus iterandi celebrationem Missæ, sit necessaria licentia Episcopi?* Resp. Quando patet recursus ad Episcopum, ipsius erit examinare causam necessitatis iterandi Missam; quia quamvis licentia sit à jure, usus tamen licentiæ requirit maturam deliberationem, & quidem Episcopi, cui incumbit invigilare, ne committatur abusus in celebratione Missarum.

318. *An etiam Religiosi debeant recurrere in hoc ad Episcopum?* ℟. Illis sufficere licentiam

Superiorum suorum; quia hi respectu illorum sunt quasi Episcopi.

Hora celebrandi.

319. *Quâ horâ diei liceat incipere celebrationem?* ℟. Juxta Rubricam, Missam privatam posse fieri ab aurora usque ad meridiem; & est communis Ecclesiæ praxis.

320. *Quid hîc intelligitur nomine auroræ?* ℟. Intelligi tempus, quo primò incipit clarescere post noctem, accipiendo illud non mathematicè & indivisibiliter, sed moraliter.

321. *An sit expectandum initium auroræ pro Missa inchoanda?* ℟. Sufficere, si Missa adhuc duret, dum est initium auroræ, quia hoc ipso, quòd Missa secundùm substantiam sacrificii, v. g. ante sumptionem attingat initium auroræ, dicitur fieri in aurora.

322. *An detur parvitas materiæ in anticipatione temporis debiti pro celebratione Missæ?* ℟. Debere dari, cùm agatur de tempore, quod habet suam extensionem quantitativam majorem, vel minorem.

323. *An & quantum tempus sit assignandum ante Solis ortum, in quo liceat incipere Missam?* ℟. Inter plures opiniones, maximè congruam videri illam, quæ assignat sesqui horam, ante Solis ortum.

324. *An ratione consuetudinis possit notabiliter ante auroram celebrari?* ℟. Posse, si sit

sit rationabilis consuetudo; quia juri positivo, aut consuetudini potest prævalere contraria consuetudo.

325. *An in partibus Septentrionalibus, ubi in hyeme est valde longa nox, sit rationabilis causa anticipandi auroram?* R. Esse; cùm enim manè sit valde breve, videtur posse compensari, conjungendo cum ipso aliquam noctis partem, maximè cùm hoc tempore multùm creverit numerus Missarum.

326. *An ubi artifices solent notabiliter ante auroram incipere sua exercitia, priùsque Missam audire, possit celebrari Missa notabiliter ante auroram?* R. Posse; meliùs enim est, ut artifices Missam audiant, quàm consuetudo non celebrandi ante auroram, idque vel maximè in hyeme, dum nox est valde longa.

327. *An in aliqua Ecclesia, si ob solennitatem sit celebrandus magnus Missarum numerus, sit sufficiens causa auroram notabiliter anticipandi?* R. Esse sufficientem, quia plus redundat in cultum DEI & Ecclesiæ ex tanto Missarum numero, quàm si aurora non ita anticiparetur.

328. *Quomodo regulanda Missæ celebratio in Regionibus, in quibus nox durat per medium annum?* R. Regulandam secundùm Regionis capacitatem, ita, ut habeatur pro die illud tempus, quod solet impendi operationibus, pro nocte illud, quod impendi-

tur quieti, attendendo ad id, quod communiter fit.

329. *An in nocte Nativitatis Domini sit expectanda media nox, ut possit Missa celebrari?* R. Probabiliùs expectandam esse; quia concessio celebrandi tres Missas, est facta pro die Nativitatis Domini, qui incipit à media nocte, à qua inchoatur etiam jejunium naturale, requisitum ad celebrationem Missæ.

330. *An pro dando viatico liceat celebrare ante auroram, & quantò citiùs?* R. Licere statim post mediam noctem; quia prohibitio anticipationis auroræ non est strictior pro una parte noctis, quàm pro altera; ac proinde si licet anticipare in tali casu summo mane, licebit statim post mediam noctem.

331. *An ob propriam Sacerdotis necessitatem, v. g. itineris, possit anticipari celebratio Missæ notabiliter ante auroram?* R. Die festo posse, si aliàs non posset celebrare, quia prævalet præceptum audiendi Missam; alio autem die non posse, quia non est obligatio Missam audiendi.

332. *An possit anticipari, si aliàs non vellet quis audire die festo Sacrum, nisi anticipatò?* R. Ex hac causa non posse, quia talis anticipatio reduceretur in causam voluntariam, v. g. venationem, aut quid simile impeditivum observationis præcepti. Hinc autem sequeretur, quòd semper, dum quis vellet exer-

cere actum incompossibilem cum observantia legis, cessaret obligatio legis, licèt nulla adesset necessitas exercendi talem actum.

333. *Quâ horâ terminanda sit celebratio Missæ?* ℟. Ex communi praxi ab Ecclesia approbata, ultimum terminum celebrationis Missarum de lege ordinaria esse meridiem cum latitudine temporis sumptam; ita ut ex communi Doctorum, nec sit peccatum veniale; dumodo ante horam primam inchoëtur Missa, quamvis post illam finiatur.

334. *An pro ministrando viatico liceat notabiliter post meridiem celebrare?* ℟. Posse usque ad horam nonam, seu tertiam post meridiem. Imò Pasqual. judicat, à jejunis posse per totum diem celebrari suppositâ necessitate; quia consuetudini introductæ usque ad meridiem celebrandi prævalet necessitas moribundi, & obligatio Pastoris ad subveniendum animabus. Pii autem V. prohibitio, ne fiant Missæ vespertinæ, non se extendit ad talem casum necessitatis.

335. *An in celebritatibus Ecclesiarum liceat protrahere Missam solennem longè post meridiem?* ℟. Cum communi posse usque ad horam nonam, seu tertiam pomeridianam; quia consuetudo restringens Missas ad meridiem, non se extendit ad similem casum magnæ solennitatis. Idem dicendum est de funeribus, aut inaugurationibus Principum, &c.

336. *An durare possint tamdiu Missæ privatæ, quamdiu durat Missa solennis?* ℟. Illâ licitè durante, semper posse durare etiam privatas usque ad horam tertiam post meridiem; quia protractâ Missâ principali, protrahuntur privatæ tanquam illam consequentes; cùm eadem causa justificare possit privatas.

337. *An ex privata causa possit quis celebrare post meridiem?* ℟. Causâ itineris & similium, nullum dubium est, posse die festo usque ad horam primam & ultra celebrare; quia incredibile est, hunc casum consuetudine comprehendi. Imò Pasqual. judicat ex simili causa licere etiam die profesto; quia cùm meridies latitudinem admittat, non tam ad ipsum tempus attendendum est, quàm ad convenientiam celebrationis tali vel tali tempore faciendæ.

Locus Missæ celebrandæ.

338. *Quo loco sit licitum celebrare Missam?* ℟. Jure communi antiquo, non fuisse licitum celebrare, nisi in Ecclesiis consecratis ab Episcopo extra casum necessitatis. *Ex Capit. Nullus, de consecr. dist. 2.*

339. *Quid autem hodie?* ℟. Hodie posse regulariter offerri sacrificium etiam in Ecclesiis, aut oratoriis tantùm benedictis, aut etiam non benedictis; deputatis tamen tantùm cultui

Divi-

Divino. *Trid. sess. 22. Decret. de servand. & vit. in Celebr. Miss.*

340. *An sit peccatum mortale, offerre sacrificium sine necessitate extra loca deputata?* ℟. Cum communi, esse peccatum mortale ob graves prohibitiones.

341. *An sit aliqua pœna ipso facto incurrenda de jure imposita celebrantibus extra loca deputata?* ℟. Non esse; quia nullum jus extat de tali pœna.

342. *An pro ministrando viatico celebrari possit in domo privata?* ℟. Pasqual. cum aliis affirmativè, quia concurrunt duo præcepta; unum de non celebrando in tali loco, alterum de viatico; hoc postremum autem est altioris ordinis, cui proinde in tali necessitate debet cedere alterum.

343. *An in casu necessitatis licitum sit celebrare extra loca deputata; in loco tamen publico?* ℟. Licitum esse, tum quia jura antiqua prohibentia Missam dici extra locum deputatum, excipiunt expressè casum necessitatis; tum quia aliæ etiam leges ecclesiasticæ non extendunt se ad casus necessitatis.

344. *An in defectu Ecclesiæ liceat extra loca deputata celebrare?* ℟. Licère in loco decenti, maximè ad hoc, ut populus implere possit præceptum de audienda Missa, tum quia hic casus est expressus in jure, tum quia obligatio legendi in Ecclesia supponit

Ecclesiam esse ; si ergo non sit, cessat obligatio.

345. *An ratione itineris possit extra loca deputata celebrari?* ℞. Cum communi, licitum esse in defectu locorum deputatorum; quia in tali casu cessat obligatio ob defectum Ecclesiæ.

346. *Quando licet ratione itineris celebrare extra loca deputata ?* ℞. Cum Pasq. in Regionibus, in quibus adsunt quidem Ecclesiæ aut oratoria, sed in itinere non occurrunt, posse celebrari singulis diebus, quibus urget præceptum audiendi Missam ; quia cùm in hac materia attendatur necessitas secundùm quid, sufficiens erit necessitas urgentis præcepti.

347. *Quid autem in Regionibus, in quibus non sunt loca deputata sacrificio?* ℞. Cum eodem Pasqual. videri, quòd liceat legere Missam toties, quoties placuerit in loco decenti; quia dispositio legis non videtur habere locum, nisi adsit id, quod lex præsupponit; cùm ergo lex de non celebrando extra loca deputata supponat dicta loca, non habebit locum, nisi eadem loca existant.

348. *An tempore pestilentiæ possit celebrari Missa extra loca deputata?* ℞. Omninò posse, ob periculum contrahendæ pestilentiæ, si Ecclesia adeatur.

349. *An quando confluentem populum Ecclesia non capit, liceat extra illam celebrare?*

re? ℞. Cum communi licere; quia cùm Ecclesia confluentem populum non capiat, eodem modo se habet, ac si ipsa non adesset; cùm igitur in defectu Ecclesiæ liceat quocunque loco decenti celebrare, licebit & in hoc casu.

350. *An in castris militum offerri possit sacrificium?* ℞. Posse, ut satisfiat præcepto de audienda Missa; quia accessus ad Ecclesiam est imposſibilis exercitui, idcóque ita se habet, ac si non esset Ecclesia.

351. *An possit in castris celebrari etiam in diebus profestis?* ℞. Posse pro Generalibus, & primariis ductoribus militum in eorum tentoriis, quia sacrificium est medium omnium potentiſsimum ad placandum DEUM, & impetrandum, quo carere vel maximè duces exercitûs grave foret.

352. *An non etiam pro militibus gregariis?* ℞. Posset omninò, si verè christianè viverent; quia nunquam deessent, qui communicare vellent ob periculum imminens ab hostibus, quæ esset causa sufficiens celebrandi.

353. *An quando ratione necessitatis est celebrandum extra loca deputata, sit necessaria licentia Episcopi?* ℞. Si necesſitas sit evidens & notoria, simpliciter non esse necessariam licentiam Episcopi ad celebrandum in loco publico; quia universaliter urgente necesſitate, obligatio legum cessat.

354. *An idem sentiendum quoad domos pri-*

vatas? ℟. Quoad has necessariam esse licentiam, excepto casu, quo articulus mortis & indigentia viatici urgens, aliter fieri non patitur, quia privatæ domus sunt specialiter prohibitæ, nec sunt conformes naturæ sacrificii, quod tanquam publicum publico modo exigit offerri.

355. *An quando necessitas non est evidens, sit necessaria licentia Episcopi etiam quoad publicum?* ℟. Esse necessariam; quia tunc tanquam res disputabilis indiget judicio & authoritate superioris, ut determinetur.

356. *An in mari liceat celebrare Missam?* ℟. Posse celebrari, si sit necessitas in navigiis magnis & mari tranquillo, quia de navigantibus est aliàs par ratio, ac de itinerantibus, nisi quòd in navi videatur esse periculum effusionis sanguinis; tradunt autem periti navigationis, quòd tunc non adsit periculum, quibus proinde credendum est. Et ita concessisse referunt Clemens VIII. & Paulus V.

357. *Quando licet celebrare in mari?* ℟. Licere non solùm dum urget præceptum audiendi Missam, aut sumendi viaticum, de quibus casibus dubium non est, sed etiam aliis diebus, quibus non est periculum, quia navigantes sunt inter illos, qui non habent Ecclesiam, proindeque super illos non cadit lex illa prohibens.

358. *An liceat celebrare in flumine?* ℞. Vix posse occurrere casum necessitatis, cùm flumina non sint tam magna, ut facilè ad ripam non possit excendi, ibique celebrari; si tamen occurreret casus, ubi extendi non posset, & urgeret necessitas viatici, judico cum Pasq. tunc celebrari posse.

359. *An in oratoriis Regularium intra septa illorum, aut in Grangiis eorum erectis possint quilibet Sacerdotes saeculares celebrare?* ℞. Posse; quia hoc ipso vi privilegii sunt deputata pro sacrificio, & quidem sine limitatione ad numerum Missarum, qualis solet fieri pro oratoriis privatis sæcularium.

360. *Quale peccatum est celebrare in Ecclesia polluta?* Resp. Esse peccatum grave; quia est contra prohibitionem in materia gravi.

361. *Quid faciendum, si dum celebratur Missa, polluatur Ecclesia?* ℞. Relinquenda est Missa, si Canon non est inceptus; si autem inceptus sit, erit complenda; cùm enim in Canone inchoëtur sacrificium saltem ritualiter, prævalet præceptum de perficiendo sacrificio præcepto de non celebrando in Ecclesia polluta.

362. *Urgente necessitate, an extra loca deputata potiùs quàm in Ecclesia polluta celebrandum?* ℞. Cum communi apud Pasqual. probabiliùs esse, quòd potiùs celebrandum sit in Ecclesia polluta, quàm extra loca de-

pu-

putata; quia communiter conceditur, quòd urgente necessitate saltem de licentia Episcopi celebrari possit in Ecclesia polluta; quod admitti non posset, si potiùs celebrandum esset extra loca deputata; siquidem semper adesset aliquis talis locus decens. Aliunde autem Ecclesia polluta habet saltem in actu primo habilitatem ad sacrificandum in ea, quam locus non deputatus non habet, & inhabilitatem in actu secundo potest supplere necessitas urgens.

363. *An aliquando de jure liceat celebrare Missam in Ecclesia polluta?* ℟. Quando in tali Ecclesia solet asservari Eucharistia ad ministrandum viaticum, posse in ea singulis septimanis celebrari Missam ad renovandam Eucharistiam; quia quando conceditur finis, hoc ipso conceduntur media necessaria ad finem. Ex quo capite etiam tempore interdicti in hunc finem conceditur semel in hebdomada celebratio, quæ tamen debet fieri januis clausis; quia non conceditur, nisi in quantum ad finem necessarium est.

364. *An ex causa necessitatis concedere possit Episcopus, ut celebretur in Ecclesia polluta?* ℟. Posse; quia in casu necessitatis potest Episcopus dispensare in sacris Canonibus, quando dispensatio non est prohibita, aut reservata à jure vel consuetudine.

365. *An aliquando sine licentia Episcopi liceat*

ceat in Ecclesia polluta celebrare? ℞. Licere, si sit necessitas, quæ de se solvat obligationem, sitque ita urgens, ut non possit recurri ad Episcopum; tunc enim habet locum Epychia, quâ respiciendo ad mentem superioris judicamus, quòd Episcopus non erat negaturus licentiam, eò quòd judicâsset casum non comprehendi in lege.

366. *Quanta debet esse necessitas, ut Episcopus possit dare licentiam ad celebrandum in Ecclesia polluta?* ℞. Requiri quidem causam gravem, non tamen ita gravem, ut non sufficiat ordinaria in genere gravi; quia agitur de dispensatione in lege purè Ecclesiastica, & quæ non est de reservatis, sed solùm de consuetudine commissa est Episcopis; Igitur non requireretur causa gravior, quàm in dispensatione in cæteris legibus ordinariis.

367. *An si contingat, in Ecclesia polluta celebrari, maneat reconciliata?* ℞. Remanere reconciliatam substantialiter; quia restituitur illi id, quod erat ablatum quoad substantiam, scilicet oblatio sacrificii, quæ aliunde requiritur etiam ad reconciliandam Ecclesiam, tanquam ultimum complementum reconciliationis.

368. *An non saltem requiratur etiam reconciliatio ritualis?* ℞. Requiri & illam, ut sit perfectè & integrè reconciliata; quia quando Ecclesia præscribit aliquid faciendum sub certis riti-

ritibus, si fiat sine ipsis, debent postea suppleri, ut patet de solennitatibus Baptismi & Matrimonii.

369. *An consecratio Ecclesiæ possit committi simplici Sacerdoti?* ℟. Posse à summo Pontifice, quia non est actus ordinis Episcopalis ex institutione Divina, sed ex institutione Ecclesiæ tantùm.

370. *An si in Ecclesia nondum consecrata offeratur sacrificium, remaneat consecrata?* ℟. Negativè; quia in sacrificio nulla exercetur in ipsam Ecclesiam tanquam subjectum sanctificandum actio; & aliàs omnis locus, in quo celebratur, consecraretur. Quòd verò Ecclesia polluta reconcilietur, est dispar ratio, quia illa non amittit consecrationem, sed tantùm polluitur, non in se, sed in hominum opinione, & ideo pro reconciliatione quoad substantiam non requiritur aliqua actio, quæ in ipsam inducat aliquam sanctitatem, sed sufficit talis, quæ illam restituat opinioni hominum.

371. *Quando amittit Ecclesia consecrationem, ut de novo consecrari debeat?* ℟. Tunc, quando vel in totum, vel majori ex parte simul destruitur, quocunque modo fiat hæc destructio; quia destruitur subjectum consecrationis, quo destructo non potest manere consecratio.

Ecclesiarum pollutio.

372. *Quot modis polluuntur Ecclesiæ consecratæ aut benedictæ?* ℞. Quatuor modis: Per homicidium, effusionem sanguinis humani, effusionem seminis humani, & sepulturam excommunicatorum aut Infidelium.

373. *Quale Homicidium debet esse, ut polluat Ecclesiam?* ℞. Debere esse opere ipso commissum, liberè volitum, graviter peccaminosum, & injuriosum saltem ipsi Ecclesiæ, quatenùs etiam per Judicis sententiam in Ecclesia occisio facta Ecclesiam polluit.

374. *Qualis effusio sanguinis polluit Ecclesiam?* ℞. Debere esse effusionem sanguinis solius hominis, ejusque vivi, mortaliter peccaminosam, eámque ex vulnere gravi.

375. *Qualis effusio seminis polluit Ecclesiam?* ℞. Solam effusionem seminis humani in se directè voluntariam, & mortaliter peccaminosam, & quidem in esse externo, seu ex opere aliquo externo, non solùm ex cogitatione interna secutam, eámque abundantem.

376. *Qualis sepultura Excommunicatorum, vel Infidelium polluit Ecclesiam?* ℞. Sepultura debet esse completa, aut saltem per modum depositi; debuit fuisse excommunicatus vitandus, vel infidelis, quamvis infans tantùm fuerit, nisi sit natus ex alterutro saltem parente fidele.

377. *An requiratur publicitas actionum pollutivarum, ut Ecclesia censeatur polluta?* R. Requiri, *Ex Cap. Significâsti Adult.* Quia pollutio Ecclesiæ est maculatio sanctitatis, quam habet Ecclesia ex Benedictione, vel consecratione; maculatio inquam non in se, sed in hominum opinione; ad hoc autem publicitas necessaria est.

378. *An Ecclesiæ pollutæ reconciliatio possit fieri à simplici Sacerdote?* R. Si fuit tantùm benedicta, potest ex communi sententia, à simplici Sacerdote reconciliari; si verò fuit consecrata, à solo Episcopo, vel ex commissione solius Pontificis ab inferiori Sacerdote.

Altare.

379. *An Altare sit necessarium ad celebrationem Missæ?* R. Esse necessarium ex gravi Ecclesiæ præcepto.

380. *Quale debet esse Altare?* R. Debere esse lapideum, & ex uno lapide; posse autem esse vel fixum, vel mobile, seu ut vocant, portatile aut viaticum, quodlibet ab Episcopo consecratum.

381. *An stante parvitate mensæ Altaris adhiberi possit ad consecrationem parva hostia?* R. Posse; quia quantitas panis consecrandi non est determinata à jure, & formæ etiam in eadem civitate sunt inæquales; cur igitur ex occasione minoris Altaris non posit minor hostia adhiberi.

382. *An reliquiarum sanctarum repositio in Altari, sit de substantia consecrationis?* ℞. Cum communi, non esse, quia in jure, ubi fit mentio de consecratione Altarium, nihil prorsus dicitur de Reliquiis, nec ullius talis præcepti vestigium est.

383. *An si celebretur in Altari non consecrato, remaneat consecratum?* Resp. Non remanere, quia harum rerum legalis vel ritualis sacratio pendet à voluntate instituentis has vel illas cæremonias, per quas reddantur sacræ, inter quas non est celebratio Missæ.

384. *Quomodo amittit Altare consecrationem?* ℞. Ex jure duobus tantùm modis amittere, nempe si motum aut enormiter fractum fuerit. *Capit. quod in dubijs de consecr. Eccl.*

385. *An Sacerdos celebraturus, teneatur explorare, an Altare sit consecratum, vel integrum?* ℞. Non teneri, sed sufficere, quòd sit expositum celebrationi; hôc ipsô enim, quòd sit sic expositum, debet præsumi habere necessaria ad celebrationem.

386. *An ratione necessitatis liceat offerre sacrificium sine Altari consecrato, ubi non est liberum exercitium Religionis Catholicæ?* ℞. Cum Pasqual. Posse, quia in tali loco lex de Altari adhibendo censetur impossibilis, cùm supponatur, Altare non posse facilè adhiberi; lex autem observatu impossibilis non obligat.

387.

387. *An ratione necessitatis possit offerri sacrificium sine Altari, etiam ubi est liberum exercitium Religionis Catholicæ?* ℟. Cum Pasqual. valde probabile esse, quòd necessitas ministrandi viaticum moribundo, sit sufficiens causa ad celebrandum sine Altari; quia administratio viatici fundatur in lege Divina; altera autem est purè humana, ergo illa prævalere potest.

388. *An in Altari fixo, consecrato, integro etiam extra Ecclesiam posito, liceat celebrare sine ulteriori licentia?* ℟. Licere, quia Altare fixum acquirit jus unctione consecrationis, ut super ipso in illo loco celebrari possit, quô jure stante, hôc ipsô consurgit in unoquoque facultas celebrandi ibidem.

389. *At nunquid sacri Canones prohibent celebrari extra Ecclesiam consecratam, aut benedictam?* ℟. Hodie sufficere, quòd locus sit deputatus tantùm ad Divinum cultum, quod habet Altare consecratum. Deinde canones illi intendunt tantùm, ut non celebretur in locis prophanis, quod hîc maneret adhuc integrum.

390. *An in quacunque Ecclesia celebrari possit à quocunque Sacerdote super Altari portatili?* ℟. His temporibus posse etiam in oratoriis deputatis, utì constat ex praxi quotidiana, nec est ulla prohibitio, ut non celebretur in Altari portatili, sed solùm ut non celebretur extra Ecclesiam.

Altaris Ornatus.

391. *Súntne mappæ, seu tobaleæ necessariæ ad Altare pro Sacrificio Missæ?* ℟. Esse necessarias ex Constitutione Ecclesiæ, *Cap. Altaris palla, de consecr. dist. 1.*

392. *Quot requiruntur mappæ seu tobaleæ?* ℟. Juxta Rubricam *ex Cap. si per negligentiam, de consecr. dist. 1.* debent esse tres: Potest tamen unica duplicata, si accedat altera, aut una sola triplicata esse sufficiens; imò sufficiet, si in medio Altaris, ubi calix & hostia subsistunt, triplicetur. Aliqui judicant, sufficere etiam duas tantùm mappas, & quòd Rubrica dicat, unam debere protendi utrinque usque ad terram, est tantùm pro decentia.

393. *Ex qua materia constare debent hæ mappæ?* ℟. Debere esse ex linteo lineo, non autem ex laneo vel sericeo. Vix dubium est, posse esse etiam ex canabe, cùm sit species lini, & ad eosdem usus à natura instituta. Probabile etiam est, posse esse ex gossipio, quia à Plinio computatur etiam inter lini species.

394. *An mappæ Altaris debeant benedici?* ℟. Vi rubricæ benedicendas esse, posse tamen sine peccato adhiberi non benedictas, quia Rubrica est tantùm directiva, nec extat ulla alia lex, quæ induceret obligationem sub peccato.

395.

395. *An adhibita mappa prophana poßint restitui usibus prioribus?* ℞. Posse, quia non hoc ipso acquirit Ecclesia earum dominium, nec deputantur in usum sacrum, sed conceduntur ad tempus.

396. *An & quale peccatum sit, uti mappis immundis aut laceris?* ℞. Esse vel veniale, vel mortale, pro quantitate defectûs, quia est contra reverentiam debitam sancto Sacrificio & cultui Divino.

397. *An & quale peccatum sit, sine mappis celebrare?* ℞. Si id fiat sine necessitate, juxta omnes esse peccatum mortale, non quòd fiat contra aliquod speciale præceptum, sed quia in re gravi, concernente reverentiam Sacrificii, & honorem cultûs Divini, fiat contra usum universalis Ecclesiæ.

398. *Quid autem in casu neceßitatis?* ℞. Si necessitas sit gravis, v. gr. ad ministrandum viaticum, nec esse veniale, quia hæc necessitas in Jure Divino naturali fundata prævalet.

399. *An Altare ornandum sit pallio, seu antipendio?* ℞. Nullum esse peccatum, si illud non adhibeatur, maximè si deficiat ratione paupertatis Ecclesiæ; quia pallium adhibetur purè ad ornatum & decentiam, ideo ejus defectus non erit irreverentia.

400. *An Altare ornandum sit Cruce in medio posita?* ℞. Esse ornandum vi rubricæ, quæ quia nihil dicit de Crucifixo, satisfiet, si sola crux adhibeatur, quam etiam adhibere non

non est obligatio sub mortali, cùm de tali obligatione non constet.

401. *An Crux sit necessaria in Altari, ubi conservatur Eucharistia?* ℟. Cum communi, si Eucharistia sit clausa, debere adhiberi Crucem, quia Rubrica universaliter loquitur; si verò Eucharistia sit exposita venerationi, aliqui dicunt debere adhiberi; alii judicant non esse necessarium, sed posse adhiberi.

402. *An Crux sit adhibenda, quando icon Altaris continet Crucem, vel Crucifixum?* ℟. Probabile quidem est, non esse necessarium, si Crux non sit nimis altè locata; probabiliùs tamen est, & conformiùs Rubricæ, si adhibeatur; quia Rubrica præscribit collocari super Altare intra candelabra. Unde etiam judicant aliqui, non satisfieri Rubricæ, si Crux collocetur in summitate Tabernaculi, nisi fortè Tabernaculum foret satis demissum.

403. *Quæ causa excusat etiam à veniali omissionem Crucis in Altari?* Resp. Excusare quamcunque rationabilem causam, quia hoc ipso honestatur talis omissio, redditúrque licita.

404. *An & qualiter Missale sit necessarium?* ℟. Celebrare sine Missali per se esse peccatum mortale, ob periculum omittendi aliquam partem notabilem, aut committendi errorem gravem.

405. *Quid si autem celebrans ita teneat memo-*

moriâ Missam, ut absit probabile periculum errandi? ℞. Tunc ex justa causa posse celebrari, esse valde probabile, quia cessat finis, ob quem debet adhiberi Missale.

406. *An Missale sit benedicendum?* ℞. Non esse benedicendum, quia est tantùm instrumentum ad subministrandum memoriæ, quæ recitanda sunt.

407. *An & qualiter candelabra sunt necessaria pro sacrificio?* ℞. Ex Rubrica debere adhiberi minimum duo; sed possunt esse ex quacunque materia, & possunt eadem servire etiam communibus usibus, quia sunt tantùm sustentacula luminis.

408. *An esset saltem veniale, celebrare sine candelabris?* ℞. Non futurum, dummodo tamen lumen adhiberetur; quia candelabra non præscribuntur ratione sui, sed ratione luminis; si ergo lumina aliunde adhibeantur, parùm refert, si absint candelabra.

409. *An & qualiter lumen sit necessarium in oblatione sacrificii?* ℞. Adhibendum esse sub peccato mortali. *Ex Capit. Litteras, de Celebrat. Missar.* & consuetudine universali Ecclesiæ, communique sensu Doctorum.

410. *An sit obligatio adhibendi duo lumina?* ℞. Si duo haberi nequeant, probabiliùs videri, quòd ex quavis causa rationabili etiam propriæ devotionis posit celebrari cum unico lumine; quia quòd duo adhibeantur, non est præcepti, sed decentiæ.

411. *An inchoatum sacrificium possit quis prosequi, si lumen extinctum non possit reaccendi?* ℟. Si post consecrationem extinguatur lumen, dubium non esse, quòd debeat continuari Missa, quia præponderat integritas Sacrificii. Si autem ante consecrationem, Pasqualigus tenet, quòd dummodo Missa inchoata sit, debeat continuari; quia dum Sacrificium incipit cum lumine, servatur ritus præscriptus; quòd autem postea extinguatur, est per accidens, & quòd reaccendi nequeat, devenitur ad casum impossibilem, in quo cessat legis obligatio.

412. *An ex causa necessitatis possit offerri Sacrificium sine lumine?* ℟. Communem quidem sententiam esse, quòd in nullo casu liceat; eam tamen videri Pasqualigo difficilem saltem in casu, qui fundatur in jure divino naturali, ut in simili aliàs dictum est.

413. *Ex qua materia debet lumen adhiberi pro sacrificio?* ℟. De jure quidem nullam obligationem esse adhibendi lumen ex cera; si tamen hoc habeatur, fore veniale, adhibere ex alia materia propter munditiam ad Sacrificium requisitam. Si verò cera non adsit, potest adhiberi ex oleo, adipe, sevo, &c.

414. *An pro elevatione sit accendendus specialis cereus?* ℟. Quamvis id laudabile sit & decens, non tamen esse ullam obligationem, quia Rubrica est solùm directiva.

415. *Quanta debet esse necessitas, ut possimus uti pro sacrificio lumine ex oleo, vel sevo?* ℞. Probabiliùs, hoc ipso, quòd velim legere Sacrum, & desit cera, adhiberi posse sevum, vel oleum.

Apparatus pro Sacrificio.

416. *Quo jure requiritur calix ad sacrificium Missæ?* ℞. Ex institutione Christi saltem quoad substantiam, quatenus adhiberi voluit vas aptum ad ministrandum potum.

417. *Prohibitáne est aliqua materia, ex qua calix factus adhiberi non possit pro sacrificio?* ℞. Calicem (pari passu loquendum de patena) prohibitum esse ex ligno. *Cap. vasa de Cons. dist. 1.* Item ex ære, aurichalco, aut vitro. *Cap. ut calix, dist. 1.*

418. *Ex qua ergo materia permittuntur?* ℞. Ex auro vel argento, aut saltem ex stanno. *In capit. ut calix, de consecr. dist. 1.*

419. *An qui offerret sacrificium in vasis ex materia prohibita, peccaturus esset graviter?* ℞. Omninò, *Ex Capit. fin. de celebr. Miss.* Ubi consecrans in scypho ligneo, privatur in perpetuum officio & beneficio.

420. *An seclusâ paupertate, possit adhiberi calix & patena ex stanno?* ℞. Valde probabile esse, quòd possit, ex ipsa Rubrica.

421. *An Calix possit adhiberi plumbeus?* ℞. Negativè; quia videtur esse materia inhabilis,

eò, quòd facillimè sordes contrahat, ac etiam qualitatem quandam plumbeam diffundit in potum contentum.

422. *An saltem possit confici calix ex auri-chalco, ære, &c. deauratis?* ℟. Probabiliùs posse; quia cessat finis, ob quem hæ materiæ sunt prohibitæ, scilicet quia contrahunt rubiginem, & provocant vomitum.

423. *An calix constare possit ex lapide?* ℟. Posse, si sit non vulgaris, durus, optimè polibilis; quia talis non imbibit species, propter quod posset esse materia inepta.

424. *An calix eburneus possit adhiberi?* ℟. Cum Pasqualigo, videri materiam ineptam; quia recipiendo vinum, maculas contrahit, quæ non possunt abstergi, ideóque non maneret vas mundum.

425. *An sufficiat, si sola cuppa calicis constet ex materia debita?* ℟. Sufficere, ut constat ex ipsa Rubrica.

426. *An patena & calix debeant in parte interiori esse inaurati?* ℟. Debere, & quidem si sint ex materia de se inhabili sub gravi peccato, inaurati esse debent, secùs si sint ex habili.

427. *Ex qua materia debet esse pyxis, in qua consecratur Eucharistia?* ℟. Usum obtinuisse, quòd sequatur conditionem calicis; nulla tamen est circa hoc determinatio, sive in Jure, sive in Rubrica.

428. *An calix cum patena debeant necessariò con-*

consecrari? ℟. Non posse adhiberi sub peccatô mortali ad sacrificium, nisi consecratos, per se loquendo; quia consecratio est ritus in materia gravi.

429. *An saltem in necessitate liceat celebrare sine calice consecrato?* ℟. Quoad hoc sentiendum conformiter ad ea, quæ dicta sunt de Altari consecrato, pag. 382. n. 387.

430. *An si celebretur cum calice non consecrato, remaneat consecratus?* ℟. Non remanere; ratio est eadem, quæ data est de Altari, pag. 381. n. 383.

431. *An pyxis, in qua consecratur Eucharistia, sit necessariò benedicenda?* ℟. Non esse, quia in jure nullum extat præceptum. Rubrica autem est solùm directiva quoad hoc.

432. *An idem dicendum de lunula in ostensorio, seu Monstrantia, & de fistula argentea, per quam Pontifex sumit sanguinem sacrum?* ℟. De his nec Rubricam quidem extare; conveniens tamen est, benedici eâdem benedictione, quâ pyxis.

433. *Qualiter amittunt calix & patena consecrationem?* ℟. Tunc, quando ita per fractionem amittunt suam formam artificialem, ut non sint ampliùs apta pro sacrificii ministerio; pereunte enim subjectô, debet perire forma.

434. *An calix amittat consecrationem, si cuppa separetur à pede?* ℟. Non amittere, si se-

separetur à pede tornatili, si iste non sit fractus; quia simpliciter non amittitur forma ejus artificialis; amittere autem, si separatio cuppæ à pede fiat per fractionem; quia amittitur forma artificialis.

435. *An si cuppa calicis amittat longô usu deaurationem, amittat etiam consecrationem?* ℞. Si aliunde materia calicis est per se habilis, non amittit consecrationem; quia non sola deauratio consecratur, sed totus calix. Neque deperdit calix per deaurationis attritionem suam formam artificialem. Aliud sentiendum, si materia de se inhabilis, reddatur habilis per solam inaurationem; quia tunc deperdita inauratione, manet calix inhabilis, consequenter nec consecratus.

436. *An si calix consecratus inauretur, amittat consecrationem?* ℞. Affirmativam esse communiorem; negativam tamen esse valde probabilem; quia manet idem calix quoad formam, majórque pars sacra trahit ad se minorem; nec Ecclesia noviter dealbata, nec corporale noviter amydo tinctum, perdit consecrationem aut benedictionem; aliunde execratio rerum consecratarum odiosa est, ideoque in casu dubio non inducenda.

437. *An per usus prophanos sacrilegos execrentur & violentur sacra vasa?* ℞. Minimè, conveniret tamen illa simplici benedictione reconciliari. Si autem violarentur per sangui-

nis, aut ſeminis humani effuſionem, deberent ab Epiſcopo reconciliari.

438. *Qualis apparatus exigatur pro calice?* ℟. Exigi purificatorium ad detergendum calicem; pallam parvam ad cooperiendum, burſam, in qua reponatur corporale; velum, quô calix operiatur, & corporale, quod ſuper Altare extendatur. Inter hæc velum & burſa non ſunt neceſſaria ad ſacrificium, nec eſt ullum præceptum adhibendi; pertinent tamen ad ornatum & decentiam, & ideo non niſi ex neceſsitate omittenda.

439. *An purificatorium ſit benedicendum?* ℟. Paſqualigum referre, quòd in praxi non benedicatur. Illud certum eſt, quòd de eo nulla ſpecialis mentio fiat in Rubricis, aut alibi; niſi dicatur, comprehendi ſub nomine Tobalearum & Mapparum, quarum benedictione dicunt alii benedicendum etiam purificatorium.

440. *Ex qua materia conſtare debet purificatorium?* ℟. In praxi ſemper adhiberi lineam; quia tamen nullibi quidquam de hoc exprimitur, exiſtimat Paſqualigus, dummodo ſit mundum ex materia apta ad extergendum calicem & manus, poſſe adhiberi.

441. *An palla ſit neceſſaria, & qualis eſſe debeat?* ℟. Eſſe neceſſarium de facto adhiberi pallam, & quidem ſub obligatione peccati mortalis, ad evitandum periculum, ne aliquid indecens incidat in calicem conſecratum;

quia

quia cùm hodie corporali tegi nequeat calix, ut olim tegebatur, palla ad hoc substituta utendum est.

442. *Ex quali materia debeat esse palla, & an benedicta?* ℟. Mihi probabiliùs videri cum communiori, quòd debeat esse ejusdem conditionis cum corporali, quia per divisionem pallæ à corporali non fuit mutatum præceptum quoad illam partem corporalis, quâ calix cooperiebatur, sed solùm ad majorem commoditatem fuit separatio permissa; ergo sicut olim operiri debuit calix parte corporalis, ita nunc censebitur operiri ipsa parte corporalis, quamvis à corporali separata.

443. *Ex qua materia debeat esse corporale?* ℟. Ex linteo lineo. *Ex Capit. Consulto, de Consecrat. dist. 1.* Canabem autem & gossypium jam alibi diximus species lini esse probabiliter.

444. *Quale peccatum est celebrare sine corporali?* ℟. Esse peccatum mortale, ut colligitur *ex cit. Cap. Consulto.*

445. *An Corporale debeat necessariò benedici?* ℟. Sub peccato mortali non posse, nisi benedictum adhiberi ad sacrificium.

446. *Quando amittit corporale suam benedictionem?* ℟. Unicum casum assignari communiter à DD. quando ita laceratur, ut non posſit ampliùs inservire pro suo munere.

447. *An ex causa necessitatis liceat sine cor-*

porali offerre ſacrificium? ℟. Quoad hoc idem ſentiendum, quod dictum eſt de Altari conſecrato, pag. 382. n. 387.

448 *A quibus corporalia lavanda ſint?* ℟. Ex officio à Diacono, vel minimum à Subdiacono; nam uſus *Cap. Nemo de Conſecr. diſt. 1.* extendit ad eum, qui ex vi ſui muneris calicem tangere poteſt.

449. *An tota lotio à miniſtro in ſacris conſtituto peragenda ſit?* ℟. Solùm primam à tali peragendam, & aquam illam in ſacrarium projiciendam. Poſſunt ulteriùs à quocunque lavari.

450. *An & quantum peccaturus eſſet laicus, ſi primam lotionem perageret?* ℟. Cum communiori, non eſſe plus quàm venialiter peccaturum; quia in tantum peccaret, in quantum attingeret; attingere autem ſacros apparatus, juxta communem eſt ſolùm veniale.

451. *An ergo corporalia, pallæ, &c. à laicis tangi nequeunt?* ℟. Corporalia & pallas, &c. etiam poſtquam benedictæ ſunt, poſſe tangi à laicis, antequam fuerunt in uſu ſacro; quia contactus prohibetur, vel ratione unctionis, quæ fit in ſacris vaſis, vel ratione contactûs ſpecierum conſecratarum, qui fit in linteis lineis, quæ tamen poſtquam ſemel lota ſunt, liberè tangi poſſunt, donec denuò ad ſacrum uſum adhibeantur.

452. *Quis autem poteſt prædicta tangere, dum in ſe actu continent Corpus aut Sanguinem Chri-*

sti? ℞. Sub peccato mortali nemo, nisi Sacerdos aut Diaconus.

Vestes sacræ.

453. *An sint necessariæ vestes sacerdotales in oblatione sacrificii?* ℞. Illas ex institutione Ecclesiæ necessarias esse. *Ex Cap. Episcopus, de Consecrat. dist. 1.* Et *Cap. Vestimenta, ead. dist.* quæ autem & quot, qualésque sint hæ vestes, dictum est pag. 291. n. 43.

454. *Ex qua materia constare debent vestes sacræ?* ℞. Nihil quoad hoc esse in jure determinatum. Ex usu tamen constat, Amictum & Albam confici ex lino; cingulum ex quacunque materia ad cingendum apta; Casulam, Stolam, Manipulum pariter ex quacunque materia apta ad earum functionem, dummodo sit decens Ministerio sacerdotali. Idem est de Pluviali & Dalmaticis.

455. *Quæ forma artificialis, & qui colores sunt vestium sacrarum?* ℞. Formam esse illam, quæ hodie in usu est, & facto ipso approbata & instituta ab Ecclesia. Colores etiam ex consuetudine quinque adhibentur, nempe: Albus, Ruber, Viridis, Violaceus, Niger, præscripti etiam in Rubrica.

456. *An hi colores cadant sub obligationem?* ℞. Eos esse tantùm sub Rubricis directivis; posse tamen venialiter peccari indebitô eorum usu, ac etiam mortaliter, ut si quis pro Missa

Paschali adhiberet nigrum colorem. Porrò aureus color valet pro omnibus; quia ad eum concurrunt præcipui colores.

457. *An sint aliæ etiam vestes sacræ?* ℟. Esse Pluviale, Dalmaticam & Tunicellam, quarum materia & colores conformes sunt Casulæ. Formæ verò & usus diversi.

458. *An omnes hæ vestes sint benedicendæ?* ℟. Vestes omnes pro sacrificio à Sacerdote adhibendas, benedicendas esse. *Ex Cap. Vestimenta de consecr. dist. 1.* Cùm specialiter deputatæ sint ad tam sacrum ministerium, unde & sacræ vocantur.

459. *Quid de Pluviali & Dalmaticis?* ℟. Probabiliùs & has benedicendas esse ob decentiam Divinorum officiorum & sacrarum functionum, cùm computentur etiam inter vestes sacras, & ex Decretis Pontificum Ministri debent esse induti vestibus sacris, habéntque suam sacram significationem, & earum benedictio habetur in Missali Romano vel Pontificali.

460. *An vestes sacerdotales per ipsum usum maneant benedictæ?* ℟. Idem dicendum esse, quod dictum est de calice pag. 390. n. 430. quamvis de vestibus faciliùs concedi posset, cùm tantùm benedicantur.

461. *Quomodo sacræ vestes amittunt benedictionem?* ℟. Tunc solùm, quando ita rumpuntur aut lacerantur, ut amittant formam suam artificialem, & non sint ampliùs habiles

pro

pro functione, cui inservire debent. *Ex Cap. quod in dubiis de consec. Eccl.*

462. *An quando aliqua vestis successivè per partes paulatim reficitur, amittat benedictionem?* ℟. Negativè, etiamsi mutetur secundùm majorem partem; quia nunquam fit talis mutatio, quæ destruat ejus formam.

463. *An partes vestis sacræ connexæ inter se aut vittis sericeis, aut nodulis amovibiliter, si separentur ab invicem, perdant benedictionem?* ℟. Non perdere; quia tunc forma illarum vestium includit in substantia illam amovibilitatem, & ideo exercitium illius non est contra, sed potiùs juxta naturam formæ illius.

464. *Quid si autem fiat separatio partis per dissuitionem?* ℟. Si pars illa sit notabilis, uti esset manica Albæ, amittet benedictionem; quia Albâ deficiente etiam unâ manicâ fit inhabilis ad functionem, pro qua est destinata.

465. *Si ab aliqua veste detrahatur pannus interior totus, an perdat benedictionem?* ℟. Si exterior manet integer, non amittet benedictionem; quia pannus interior accessorius est, & extra formam sacræ vestis.

466. *An vestis duplicata ex una parte pro uno, ex altera pro altero colore serviens, si separetur in duas partes, amittat benedictionem?* ℟. Non amittere; quia singulæ illæ partes sunt benedictæ, & per accidens coëunt in unum,

ideoque si separentur, tollitur tantùm unio, non forma, nec benedictio.

467. *Si ex manipulis fiat stola, aut ex stola manipulus, debétne de novo benedici?* ℟. Si non fiat additio novæ materiæ, aut additio & detractio non sit secundùm majorem partem, non debere benedici; quia non fit mutatio formæ, & minor pars addita, trahitur ad communicandum in benedictione.

468. *Si ex pluribus amictibus fieret una alba, ex pluribus Manipulis una stola, ex pluribus stolis una casula, esétne opus novâ benedictione?* ℟. Esse opus, quia concurrerent ad novam vestem, & novam formam artificialem, proindéque ista vestis non esset benedicta in sua forma.

469. *Quid si autem illæ partes dissuerentur, & redirent ad suam priorem formam?* ℟. Aliquos sentire, quòd non deberent de novo benedici; quia non perdiderunt suam formam; alios verò existimare, quòd deberent benedici, quia etsi materialiter servaverint suam formam, formaliter tamen novam constituebant, nec poterant dici plures stolæ aut Manipuli, &c.

470. *An vestes sacræ amittant benedictionem, si à laicis adhibeantur ad usus prophanos?* ℟. Non amittere; quia non perdunt suam formam, aliunde nec polluuntur, quia pollutio non habet locum, nisi ubi à jure disponitur.

471. *Quando cingulum amittat benedictionem?* ℟. Quæcunque illius pars manet adhuc apta ad cingendum, illa non amittet benedictionem. Idem est, si antequam totaliter rumpatur, partes inter se connectantur, quia non deperditur forma.

472. *Quid si autem in duas partes ruptum, iterum connectatur?* ℟. Perdere benedictionem, si neutra pars sufficit pro cingendo, quia perdidit formam. Si autem una pars sufficit pro cingendo, altera ipsi conjuncta recuperabit benedictionem, quia tanquam accessoria trahetur ad communicandum in benedictione cum majori.

473. *Potéstne adhiberi in defectu cinguli stola?* ℟. Posse, quia cingulum non requirit certam materiam, sed sufficit quæcunque de se apta ad cingendum; & aliunde utrique est benedictio communis sub generali vestium benedictione.

474. *An liceat uti stolâ pro manipulo, & vicissim?* ℟. Licere in casu necessitatis, quia sunt vestes simul benedictæ, & formam artificialem ferè eandem habent præter aliquam extensionem. Imò plurimi judicant, id etiam extra casum necessitatis fieri posse, dummodo manipulus posit per crucem in pectore locari.

475. *An & quale peccatum sit, celebrare cum vestibus sacerdotalibus non benedictis?* ℟. De se esse peccatum mortale. Ex *Cap. vestimenta de Consecr. dist. 1.*

476. *An tamen detur parvitas materiæ?* ℞. Probabiliùs dari, ac proinde cum cingulo non benedicto, & secundùm aliquos cum manipulo aut stola non benedictis celebrare erit solùm veniale; & si occurrat aliqua rationabilis causa, nullum prorsus peccatum erit. Quòd detur parvitas materiæ, inde habetur, quia ornatus sacerdotalis est per modum unius totius, & taliter etiam benedicitur; Cùm ergò simus in materia totius divisibilis, debebit admitti parvitas materiæ.

477. *An aliquando liceat celebrare cum vestibus sacerdotalibus, quarum nulla sit benedicta?* ℞. Id licere urgente gravi necessitate; quia benedictio est solùm de Jure Ecclesiastico, quod non præsumitur velle impedire majus bonum.

478. *An in omissione alicujus vestis sacerdotalis in celebratione locum habeat parvitas materiæ?* ℞. Habere locum ex eadem ratione, quæ data est proximè, n. 476.

479. *Quæ ergo vestes censendæ sunt parva materia?* ℞. Communis sententia admittit de cingulo, cùm sit potiùs accessorium vestis, quàm vestis. De manipulo etiam non habetur magna difficultas, cùm non fuerit introductus eo fine, ut esset inter vestes, sed olim erat tantùm sudariolum pro oculis, ore, naribus abstergendis, & aliunde respectu totius ornatûs sacerdotalis videtur esse pars exigua.

480. *An ligamen Casulæ possit adhiberi*

pro

pro cingulo? ℟. Posse; quia aliunde cingit Sacerdotem.

481. *An ex causa necessitatis liceat celebrare sine aliqua ex vestibus sacerdotalibus?* ℟. Licere; siquidem potest esse talis necessitas, quæ prævaleat præcepto purè ecclesiastico, ut aliàs dictum.

482. *Quot gradus necessitatis considerari possunt?* ℟. Tres: Primus est gravissimus, ut ad evitandam mortem, aut aliud gravissimum damnum. Secundus gravis, uti esset necessitas ministrandi viaticum, aut offerendi sacrificium, pro aliqua gravi indigentia, aut implendi præceptum naturale Divinum de offerendo sacrificio. Tertius est communis & ordinarius, ut est præceptum audiendi Missam, aut necessitas implorandi Divinum auxilium pro speciali indigentia.

483. *An in secundo & tertio necessitatis gradu possit offerri sacrificium sine stola?* ℟. Non posse sine peccato mortali; quia stola in pectus per Crucem defluens, est speciale signum potestatis sacerdotalis, ex qua Sacerdos offert sacrificium.

484. *An in tertio necessitatis gradu liceat celebrare sine aliqua ex vestibus minoribus?* ℟. Licere; quia sunt parva materia, cui proinde etiam necessitas communis prævalere potest.

485. *An in casu gravis, seu secundæ necessitatis possit celebrari sine aliqua ex vestibus majoribus?* ℟. Posse, dummodo non sit de-
fectus

fectus stolæ; quia minor necessitas, ut sæpè dictum est, debet cedere majori, ut minor obligatio majori.

486. *An ex necessitate ejusdem secundi gradus liceat aliquando celebrare absque ulla ex vestibus majoribus, aut minoribus?* ℟. Nunquam licere, ita communis sensus est Doctorum; quia sacrificium, sicut exigit ex natura sua publicum ministrum, ita exigit, ut quà talis accedat ad offerendum, adeóque cum insignibus sensibilibus suæ potestatis, saltem aliquibus. Et juxta aliquos sufficeret sola stola, quæ est vestis propria sacerdotis.

487. *An ex causa gravissima seu primi generis possit celebrari sine omni veste sacra?* ℟. Probabiliùs videri quòd non liceat, quamvis aliqui contrarium sentiant; quia licèt leges humanæ præcisè quà tales non possint obligare cum periculo vitæ; quia tamen lex Ecclesiæ de usu sacrarum vestium est talis, quæ applicat legem naturalem & Divinam obligantem ad adhibendum aliquod signum ministerii, quod sustinet sacerdos offerendo sacrificium; ideo ratione istarum legum potest obligare cum periculo vitæ.

488. *An omittere aliquam ex sacris vestibus ex inadvertentia, oblivione, &c. sit peccatum?* ℟. Si hæ causæ sunt culpabiles, non excusabunt à peccato, sicut in aliis materiis.

489. *An & quale peccatum sit celebrare cum vestibus sacerdotalibus sacris, immundis aut laceris?*

cris? ℞. Cum communi, celebrare cum notabiliter talibus, esse peccatum mortale. *Ex Cap. vestimenta de Cons. dist.* 1.

490. *An saltem in casu necessitatis liceat tales vestes adhibere?* ℞. Nisi vestes essent planè ludicræ, liceret cum iis celebrare in casu gravis necessitatis, quia necessitas reddit licitum, quod aliàs non est licitum. *Ex Cap. quod non est, de Reg. Juris.*

491. *Ubi debet Sacerdos induere sacras vestes pro sacrificio?* ℞. In sacristia, & non in Altari, quia ex Altari Episcopi sumunt illas. Si tamen foret necessitas, aut consuetudo, saltem ex medio Altaris non deberent sumi, sicut sumuntur ab Episcopis, sed ex aliquo cornu Altaris.

492. *An teneatur Sacerdos, dum induit sacras vestes, orare preces præscriptas?* ℞. Rubricam illam esse tantùm directivam.

493. *An & quale peccatum sit, uti sacris vestibus ad usus prophanos?* ℞. Cum communi, esse ex genere suo peccatum mortale, quia per benedictionem segregantur à communibus usibus, & dedicantur obsequiis Divinis.

494. *An ergo nec in Comœdiis uti licebit?* ℞. Aliquos permittere usum, si Comœdiæ sint sacræ, & in loco sacro. Interim tamen & hoc videtur esse contra *Capitul. vestimenta cit.* Ubi habetur, quòd aliis usibus servire non debeant, quàm Ecclesiasticis.

495. *An liceat sacris vestibus induere corpora* *Sa-*

Sacerdotum defunctorum, dum sepeliuntur? ℟. Consuetudinem illam esse licitam, & servata est in praxi à temporibus S. Gregorii.

496. *An sacræ vestes confici possint ex vestibus prophanis?* ℟. Posse, quamvis usui prophano inservierint; quia nec extat prohibitio, nec est ex natura rei illicitum, éstque praxis quotidiana.

497. *Quales debent esse vestes communes celebraturi Missam?* ℟. Quamvis aliqui judicent, peccare mortaliter eum, qui celebrat vestitus habitu laicali; alii tamen probabiliùs existimant, non peccare, quia est ad breve tempus, nec videretur à populo ejus vestis; & Rubrica est tantùm directiva.

498. *An peccet, qui nudis pedibus celebrat?* ℟. Non peccare mortaliter, quia nullum est præceptum, foret tamen aliqua indecentia.

499. *An & quale sit peccatum, cooperto capite celebrare?* ℟. Totô tempore sacrificii habere coopertum caput, esse mortale peccatum, quia est gravis irreverentia.

500. *An etiam sit mortale, uti pileolo usque ad Canonem?* ℟. Non esse; quia videtur esse parvitas materiæ. Si autem alicubi est consuetudo utendi pileô usque ad consecrationem (uti Vasquez refert esse in Polonia) valebit illa.

501. *An sacra supellex converti possit in usus prophanos?* ℟. Postquam amiserunt formam, posse converti; nec erit peccatum venia-

niale, nisi aliqua circumstantia importet irreverentiam; quia cessante formâ artificiali, cessat benedictio. Tota autem exigentia reverentiæ fundatur in benedictione.

502. *An sacra supellex vendi aut oppignorari possit?* ℟. Non posse, nisi ex causa necessitatis. *Ex cap. 1. de pignore.*

503. *An ratione Ordinis obligetur Sacerdos aliquando offerre Sacrificium?* ℟. Sacerdotem simplicem ex vi Ordinis teneri aliquando in anno celebrare. *Hoc facite in meam commemorationem. Trid. sess. 22. cap. 1. de sacrificio, Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite, utì semper Ecclesia Catholica intellexit, &c.*

504. *An simplex Sacerdos teneatur in die festo celebrare, si non adsit alius, qui celebret?* ℟. Videri, quòd teneatur, quia ratione Ordinis sacerdotalis est constitutus publicus minister populi ad offerendum sacrificium.

505. *An simplex Sacerdos teneatur celebrare, ut impleat præceptum audiendi Missam?* ℟. Teneri, nisi adsit tale impedimentum, quod de se possit excusare ab audienda Missa.

Jejuno celebrandum.

506. *An celebraturus debeat esse jejunus?* ℟. Certum esse de gravi præcepto ecclesiastico jejunii, ejúsque naturalis, excludentis quamlibet sumptionem, non solùm cibi & potûs, sed

etiam

etiam medicinæ; si quis volet celebrare aut communicare.

507. *Datúrne in hoc jejunio parvitas materiæ?* ℞. Non dari, sed Communionem post quemlibet cibum & potum, qui naturale jejunium quomodolibet solverit, esse mortaliter peccaminosam; quia hoc præceptum non prohibet directè cibum & potum, sed communionem post quemcunque cibum & potum; communio autem semper est res gravis.

508. *Quomodo violatur jejunium naturale?* ℞. Ad ejus violationem ex communi Doctorum sententia duo requiri: Unum, ut sumatur aliquis cibus, vel potus humanus; quia jejunium consistit in abstinentia cibi vel potûs. Alterum, ut talis cibus vel potus sumatur per actionem, quæ verè est comestio vel potatio; quia cibus & potus non opponuntur jejunio sub quacunque ratione, v. g. sub ratione visibilis, aut olfactibilis, sed formaliter sub ratione cibi & potûs, ut sunt objectum gustûs, & quid comestibile vel potabile.

509. *Si quid per modum salivæ trajiciatur in stomachum, vel per respirationem attrahatur, an violet jejunium naturale?* ℞. Non violare, licèt nutrire posit. Sic fit, si quis de reliquiis cibi præcedentis diei, vel de stilla aquæ, dum os abluitur, aliquid deglutiat; si gustans jusculum aliquid illius trajiciat; si aromata dentibus terat, aut ore retineat, ad confortandum caput, & aliquid succi permixtum salivæ, vel

etiam

etiam parvum granum aromatis, sine intentione, deglutiat; si per modum respirationis muscam vel quid simile attrahat, & in stomachum demittat; quia hæc omnia non sumuntur per veram comestionem.

510. *An violet jejunium, qui deglutit sanguinem, aut alium humorem ex capite defluentem?* ℞. Non violare, quia juxta regulam traditam à D. Thom. *Quidquid ab intrinseco provenit, & ore non sumitur ab extrinseco, verè non comeditur, nec bibitur.*

511. *An reliquiæ cibi præcedentis diei in ore hærentes, si alterâ die ex industria deglutiantur, violetur jejunium naturale?* ℞. Probabiliùs non violari; quia cùm hodie ab extrinseco non recipiantur, sed heri tanquam partes hesternæ comestionis sumptæ cæperint masticari, retinent moralem connexionem cum illa, nec constituunt novam comestionem, sed hesternam complent & perficiunt.

512. *Si quis ante mediam noctem zaccharum ori imposuit, durétque illud ultra mediam noctem, & tunc etiam glutiat, an violet jejunium naturale?* ℞. Violare; quia licèt ab extrinseco pridiè sit sumptum, continuatur tamen comestio illius, quæ aliter non fit, quàm per successivam liquefactionem, & hoc quidem per se, non verò per accidens. Sicut reliquia cibi per accidens alterô die glutitur.

513. *An officula, metallum, charta, creta, ungues, &c. deglutita impediant jejunium na-*

turale? ℟. Probabiliùs non impedire, quia non ſunt cibus humanus. Quòd autem fœminæ terram, carbones, aut quid ſimile comedentes, nequeant communicare, inde fieri videtur, quòd ſumant iſta per modum medicinæ.

514. *An tabaci uſu violetur jejunium naturale?* ℟. Quarti non violari, ſive maſticetur, ſive pulverizatus ſumatur per nares, ſive in fumo per os, quamvis aliquid cum ſaliva vel aliis humoribus deſcendat; quia nulla harum actionum eſt comeſtio, aut bibitio.

515. *Dantúrne cauſæ excuſantes à jejunio ante communionem?* ℟. Dari quinque.

516. *Quæ eſt prima cauſa excuſans à jejunio?* ℟. Eſt reverentia ejuſdem Sacramenti; quando videlicet opus eſt illud ſumere ad evitandam ejus irreverentiam, v. g. Si deberet venire in manus infidelium, aut comburi, aut comedi à bruto &c. tunc enim poterit etiam à laico non jejuno ſumi, ſi non adſit jejunus. Item, ſi Sacerdos deficiat poſt conſecratum calicem, & non adſit Sacerdos, à quo ſumatur calix, nec ſervari poſsit ſine periculo notabilis irreverentiæ. Si Sacerdos poſt ſumptum calicem advertat ſe aquam conſecrâſſe. Si inchoatâ Miſsâ recordetur, ſe non eſſe jejunum, idque probabiliter etiam ante conſecrationem unius ſpeciei. Ratio omnium eſt, quia præceptum jejunii ob reverentiam hujus Sacramenti latum non obligat, dum ipſamet Sacramenti reverentia contrarium poſtulat.

517. *An particulæ Hoſtiæ conſecratæ, ſi poſt ſumptam ablutionem reperiantur, poſſint ſumi à Sacerdote ſic non jejuno?* ℞. Poſſe, quia totius hoſtiæ & calicis ſumptio cum ablutione ſubſequente cenſetur una moralis actio, pertinens ad ipſam Communionem decenter peragendam, ac proinde ſatisfiet intentioni Eccleſiæ præcipientis jejunium, ſi ad integram ſumptionem cum jejunio accedatur, & talis ſumptio eſt complementum Communionis.

518. *Quæ eſt ſecunda cauſa excuſans?* ℞. Eſt neceſsitas vitandi ſcandalum, vel infamiam, vel ſimile grave damnum, v. g. ſi quis Sacerdoti vel laico non jejuno minaretur mortem, niſi celebret, vel communicet; ſi Sacerdos in altari recordetur, ſe non eſſe jejunum, nec poſſit ſine ſcandalo vel infamia deſiſtere, &c. Quia leges poſitivæ non obligant cum tanto diſpendio. Notat autem *Quarti*, præceptum annuæ Communionis non eſſe cauſam excuſantem, quia Eccleſia non videtur obligare ad communionem, niſi ſervatis debitis circumſtantiis & jejuniô.

519. *Quæ eſt tertia cauſa excuſans?* ℞. Juxta omnium ſenſum, ſumptio viatici. *Ex Cap. Presbyter de conſ. diſt. 2.* Si tamen certò conſtet, moribundum expectare poſſe, donec ſit jejunus, expectandum erit; non tamen ideo ſcrupulosè agendum, vitandáque eſt gravis incommoditas, vel indecentia, ut ſi ad mediam noctem deberet differri.

520. *Quæ est quarta causa excusans?* ℞. Est dispensatio Pontificis, qui solus eam facere potest, & non nisi rarissimè concedit, & taliter de facto probabile est, dispensare Pontificem cum Cardinali, qui singulis annis in vigilia Nativitatis in sacello Pontificio solenniter celebrat primum sacrum Nativitatis.

521. *Quæ est quinta causa excusans?* ℞. Probabiliter est necessitas dandi viaticum moribundo; quia jura dispensant in hoc jejunio, ut videri est in infirmo; censeri igitur possunt etiam dispensare cum Sacerdote, qui nisi non jejunus celebret, infirmus decederet sine viatico. Et si in tali casu per epichiam alia præcepta ecclesiastica cessant, v.g. celebrare sine confessione, sine ministro quâlibet horâ diei, bis eodem die, cessabit & istud. Et cùm Sacerdos morti vel naturali, vel violentæ proximus, dum alia hostia non suppetit, possit ad se ipsum communicandum celebrare non jejunus, juxta communiorem sententiam, cur non posset etiam ad communicandum proximum, quem lege charitatis tenetur diligere sicut se ipsum?

Variæ quæstiones.

522. *Quis Episcopus nominandus in Canone?* ℞. Certum nunc esse, quòd debeat nominari Episcopus loci, in quo celebratur; quia id expresse præscribitur in Rubrica.

523. *Quando palmæ extenduntur super oblata, quomodo pollices collocandi?* ℟. Juxta aliquos supra palmas, juxta alios infrà. Rubrica nihil aliud dicit, quàm quòd dexter pollex debeat poni super sinistrum; Diana dicit, Romæ esse decisum, ut pollices collocentur supra palmam; sed hoc non constat.

524. *An particulæ consecratæ debeant statim reponi ad sacrarium?* ℟. Non debere, nec debere distribui populo ante communionem consecrantis, nisi fortè ad dimittendum populum esset necessitas accelerandi Communionem populi; quia hæ minores Hostiæ simul cum grandiori pertinent ad idem sacrificium; ac proinde debent simul esse super aram, quæ est proprius locus sacrificii.

525. *An Sacerdos, qui debuisset consecrare duas hostias majores, unam pro se, alteram pro precibus 40. horarum, unam tantùm consecrans ex oblivione, possit loco majoris hostiæ à se consecratæ sumere parvam ex pyxide jam priùs consecratam?* ℟. Non posse; quia illæ aliæ hostiæ non pertinent ad idem sacrificium.

526. *An sanguis debeat uno haustu sumi?* ℟. Decentiùs videri, ut uno haustu sumatur, nisi forte pluscululum consecratum fuisset. Durandus quidem trinum haustum præscribit, sed hoc tempore iste esset novus ritus.

527. *Quid agendum, si particula Hostiæ adhæreat calici, dum Sanguis ebibitur?* ℟. Posse illam adduci digito ad labium calicis, & ita

 sumi,

sumi, vel affuso vino simul cum eo deglutiri, ita Rubricæ.

528. *At nunquid violabitur jejunium, si vinum priùs demittatur in stomachum, quàm dicta particula?* ℞. Id nihil obstare; quia præcepto jejunii solùm cavetur, ut quis accedat jejunus ad integram communionem absolutè & per se. Si verò aliquid ex speciebus sumendum sit, tanquam circumstantia & reliquia Communionis jam inchoatæ, nihil vetabit illud sumere, simul cum vino, vel post partem vini jam haustam ad decentiùs perficiendum Sacramentum.

529. *Quid agendum, si musca vel araneus incidat in calicem nondum consecratum, vel jam consecratum?* ℞. In primo casu potest aliud vinum accipi, offerri mentaliter, consecrari, & alterum ad locum decentem effundi. In secundo casu vermis digitis excipiatur, lavetur cum vino, comburatur, & cineres in sacrarium projiciantur. Si tamen Sacerdos nauseam non haberet, posset vermem non venenatum sumere simul cum sanguine.

530. *Quid agendum, si contingat, totum Sanguinem effundi?* ℞. Si vel modicum remansit in calice, illud sumatur, & abluantur res à sanguine effuso tactæ; si verò nihil prorsùs remansit, novus sanguis conficiendus erit.

531. *Quid si celebrans revomat Eucharistiam?* ℞. Si sine nausea fieri possit, species

ma-

manentes adhuc integræ separentur & sumantur. Si obsit nausea, separentur, & in loco sacro collocentur, donec corrumpantur, & corruptæ in sacrarium projiciantur. Si species non appareant, comburatur vomitus, & in sacrarium projiciantur ejus cineres.

532. *An si aqua separetur à vino consecrato, remaneret sanguis Christi sub speciebus aquæ?* ℟. Probabiliter non remaneret, quia non remaneret vinum usuale.

533. *Utrùm calix factâ Communione sit occultandus velo à parte anteriori?* ℟. Cum Quarti reflecti debere supra Bursam; quia jam tunc nullus est illius usus, & aptatur pro asportando, commodiùs autem est sic asportare. Deinde, quòd in principio Missæ occultetur calix, significatur, quòd usque ad offertorium sit Missa Catechumenorum, quibus adhuc mysteria difficiliora, utì sunt Crucis & Passionis Christi, absconduntur.

534. *At nunquid Rubrica dicit, ut superponatur calici purificatorium, patena cum palla, item velum & bursa cum Corporali, & ipse calix collocetur in medio Altaris*, ut in principio Missæ? ℟. Hæc ultima verba non denotare velandum calicem ut in principio Missæ, sed ponendum in medio Altaris, *ut in principio Missæ.* Siquidem in principio Missæ nec bursa, nec Corporale ponitur supra calicem. Deinde paulò pòst etiam dicitur, ut deferatur liber ad Cornu Epistolæ, *ut in Introitu,*

troitu, & tamen non denotatur modus libri collocandi, sed tantùm locus, quia debet deferri liber apertus, qui in principio ibidem collocatur clausus.

535. *An Canticum benedicite debeat dici post Missam?* ℟. Esse tantùm Rubricam directivam, nec sub veniali obligantem.

536. *An manus lavandæ post Missam?* ℟. Esse etiam tantùm Rubricam directivam, per quam decentia præscribitur.

537. *An post Sacrum sit obligatio non exspuendi?* ℟. Secluso periculo non exspuendi aliquid Sacramenti, nullam esse obligationem, decet tamen aliquamdiu abstinere.

538. *Quamdiu durent species in stomacho?* ℟. De Lugo ex judicio Medicorum Romanorum, quos consuluit, existimat, quòd post unum quadrantem horæ, nullum dubium esse possit de consumptis jam speciebus. Alii judicant, hanc securitatem haberi non posse, nisi post horam integram elapsam.

539. *An celebrans possit statim comedere post Missam?* ℟. In rigore loquendo non esse ullam obligationem abstinendi. Quia *Cap. tribus gradibus de Consecr.* id vetans est usu abrogatum; ob majorem tamen reverentiam abstinendum est aliquamdiu. At Regulares, qui legunt ultimam Missam, vadunt paulò pòst ad mensam, quia apud illos abest omnis immodestia dedecens sacram Communionem.

540. *An peccet, qui extinguit lumen ante Evangelium S. Joannis?* ℟. Si utrumque extinguatur, peccari venialiter; si autem unum tantùm, sicut aliquando ùsu venit, nec esse veniale.

Stipendium pro Sacrificio.

541. *Estne licitum dare & accipere stipendium Sacerdoti pro Sacrificio Missæ?* ℟. Certum esse, quòd sit licitum ex multis Pontificum Decretis de stipendio factis. *Et dignus est operarius cibo suo, Matth. 10.*

542. *An hoc stipendium fieri possit pro labore & opera impensis in celebranda Missa, quasi pretio æstimari possit?* ℟. Hoc titulo nec dari nec accipi posse, nam labor talis est inseparabilis ab ipsa functione Missæ, atque adeò spiritualis, pro quo proinde accipi pretium & solutio non potest sine simonia.

543. *Quo titulo ergo accipitur & datur?* ℟. Non dari ut pretium operis, sed pro sustentatione aut totali, aut partiali, quatenùs Sacerdos in ordinatione suscipit simul obligationem serviendi populo in ordine ad offerendum sacrificium. Pópulus verò jure naturæ obligatus offerre Sacrificium, (quia in lege gratiæ offerri illud nequit, nisi per Sacerdotes) tenetur sibi Sacerdotes procurare, ac proinde providere illis sustentationem, qui sacrificium offerant.

544. *An stipendium Missæ possit in pactum deduci?* ℞. Posse; cùm enim adsit, ut dictum est, obligatio ex jure naturæ, poterit eadem obligatio firmari pacto.

545. *An Sacerdotes divites possint accipere consuetum stipendium Missæ?* ℞. Posse; quia obligatio naturalis exhibendi sustentationem iis, qui nobis impendunt suum ministerium, non oritur ex paupertate ipsorum, sed ex ministerio impenso.

546. *Quid si autem de sustentatione jam sit benè provisus per Beneficia Ecclesiastica?* ℞. Beneficia ecclesiastica plerúmque trahunt secum aliquam obligationem, ratione cujus æquum est eum ex iis sustentari. Quòd si autem non habeat annexam obligationem specialem celebrandi Missam, manet adhuc integrum jus Sacerdoti exigendi à particulari persona sustentationem, quando intuitu ejus exhibet suum ministerium, vi scilicet generalis juris exigendi sustentationem ab iis, quibus exhibetur ministerium, hoc ipso, quòd generalis obligatio illud exhibendi determinetur ad personam particularem determinantis, pariter jus exigendi respectu illius particularis personæ, cui ministerium dictum exhibetur.

547. *An in die Nativitatis recipi possint tria stipendia intuitu trium Missarum?* ℞. Posse, quia licèt non plùs insumat illâ die, quàm aliis pro sustentatione, adeóque videatur satisfactum unico stipendio, tamen totum, quod

sit

sit ex aliis stipendiis, & aliis totô annô acceptis, non excedit, quod requiritur ad victum totô annô.

548. *An qui ratione Beneficii tenetur celebrare, possit accipere stipendium manuale?* R. Cum Pasqual. posse, si obligatio celebrandi sit absque obligatione applicandi sacrificium; quia tunc applicatio adhuc manet libera, adeoque obligabilis alteri, & consequenter potens vicissim alterum obligare ad præstandum sacrificium. Congreg. Rituum, si quid hac in parte in contrarium decidit, intelligenda est decisio pro eo casu, in quo non solùm est obligatio officiandi, sed etiam celebrandi pro alio, seu applicandi sacrificium pro alio.

549. *An si quis decrevisset non celebrare, possit eâdem die celebrare, ut lucraretur pingue stipendium?* R. Posse; quia illud stipendium non est finis, ad quem ordinatur sacrificium, sed est solùm causa mutandi propositum, quod cùm ex natura sua sit mutabile, potest mutari sine peccato ex quacunque rationabili causa, si aliunde nihil obest, utì in præsenti supponitur, nihil obstare.

550. *An pro labore extrinseco Missæ annexo possit recipi aliquod stipendium?* R. Si labor extrinsecus per accidens sit annexus, utì est ire ad locum distantem, vel summo manè surgere, aut diu expectare, &c. posse tunc recipi, quia talis labor est onus corporale, & ex-

& extra functionem ſpiritualem, proindéque pretio æſtimabilis, & in pactum deducibilis, non ſecùs, ac quæcunque alia res pretio æſtimabilis.

551. *An celebrans Miſſam ſolennem poſſit recipere majus ſtipendium?* ℞. Probabiliter poſſe, quia multa ſunt per accidens annexa tali ſacrificio. Et ſi operarius dignus eſt mercede ſuâ, qui magis operatur, majori mercede dignus erit.

552. *An ratione diei feſti poſſit accipi majus ſtipendium?* ℞. Cum Paſqual. poſſe, quia hoc miniſterium in diebus feſtis eſt magis neceſſarium populo, ac proinde magis æſtimabile. Unde ſi Sacerdos die feſto celebraret ſine ſtipendio, faceret rem magis gratam, quàm ſi alio die ita celebraret.

553. *An liceat anticipatè exigere ſtipendium celebrationis Miſſarum?* ℞. Licere; quia ſolutio anticipata, aut cautio de ſolvendo, non variat naturam contractûs. Cùm igitur contractus de Miſſa ſit licitus. erit etiam licitus, ſi ſolutio anticipatè exigatur, aut cautio de ſolvendo petatur.

554. *An liceat accipere plura ſtipendia pro eadem Miſſa?* ℞. Præter alias Declarationes, ab Alexandro VII. Anno 1665. eſt ſequens Propoſitio in ordine 8. damnata: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebrantis*

brantì correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.


555. *An transferens obligationem celebrandi in alium, debeat ipsi exhibere integrum stipendium?* ℞. Hanc propositionem esse damnatam ab Alexandro VII. *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ stipendii parte sibi servatâ.*

A. M. D. G.

&

Sacrorum Ordinum decus & incrementum.

F I N I S.



Pœnitentia ut Virtus est habitus inclinans hominem ad destand peccatum

Iste versus et in ore et in corde sit

Homo sum, humanum nihil a me alienum puto

